RosDok Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Georg Nikolaus Erasmi

# Epigrammatum Georgii Nicolai Erasmi, Ohrdrufiensis Thuringi, Libri Quinque

Rostochi[i]: Hallervordius, 1643

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756623774**

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn756623774/phys_0001
DFG

Min. 71. 1-3. <R>

~~V. 3820. a.b.c.~~

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756623774/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn756623774/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn756623774/phys_0004
DFG

# EPIGRAMMATUM GEORGII NICOLAI ERASMI, Ohrdruſienſis Thuringi,

## *LIBRI QUINQUE.*

---

ROSTOCHI,

*Impenſâ Johannis Hallervordii Bibliopolæ.*

Prælo Kyliano Acad. Typogr.

*Anno ſalutiferi partus*

M. DC. XLIII.

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756623774/phys_0005

# AD LECTOREM.

Eſt artis, paucis proponere multa; LIBEL-
LUS
*Multa docet paucis, hinc agit artis opus.*

HENRICUS RAHNE J.U.D.
& Prof. Roſtoch.

## 2. In præſens Epigammatwn opus.

*Quæ ſunt lecta, boni mihi cōmatis eſſe videtur,*
*Ejuſdem, quæ non ſunt mihi lecta, reor.*

Poſt horariam lectionem
gratulabundus adponebat
JOHANNES HUSWEDELIUS,
Prof. Roſtoch.

## 3. Ad Autorem.

*Curta quod exiguis pangas Epigrammata metris,*
*Et tuus in tenui pulvere currat equus,*
*Non ideò eſt vilis tua, Eraſme, Thalia, minutis*
*Major ubiq; Venus, major ubiq; Charis.*

*Sic adamas punctum eſt lapidis, punctumq́ pyropus,*
*Fragmina vaſta tamen vincit uterq́ mola.*
*Cenſentur minimo ſic pondere grana, coruſcat*
*Queis Tagus, Heſperiæ ſceptriger amnis aquæ.*

T. Johannes Weitzius.

## 4. Ad Georg. Nic. Eraſmum.

*Excipiat VVeizl gemmas tuus aureus aptas*
*Annulus, heic cuprum ſubdere nolo meum.*

M. Chriſtian. Timoth. Dufftius
Scholæ Ohrdruf. Rector.

## 5. Ad G. N. Eraſmum.

*Quæ, generoſorū decus, & nova gloria Vatum,*
*Dulce caput, Suadæ dulcis, Eraſme, comes,*
*Quæ modò, Pieriis Epigrammata nata ſub antris,*
*Tradita ſunt oculis inſpicienda meis.*
*Dulcia ſunt, fateor, ſunt jucundiſsima lectu,*
*Nectare plena, favos, ambroſiamq́ fovent.*
*Sæpè lego mancos ſine re, ſine pondere verſus,*
*Heu mihi, quàm verſi ſunt malè verſiculi!*
*Hic animam ſpirat genius, monſtratq́ Poëtam,*
*Qui ſale conditum promit ab arte melos.*
*Sic oleo diſtet quòd amurca, quis ambigit? & quòd,*
*Differat à ſapido fœtida vappa mero.*

M. Pancratius Amſelius. P. L.

6. Ad Autorem.

*Grande decus patriæ, dextris Epigrammata Muſis,*
*Et non averſo ſcribis, Eraſme, Deo.*
*Si præfixa libri demas tua nomina fronti,*
*Non facilè, Owenum compoſuiſſe negem.*

7. Ad Eundem.

*Illa tui, Juvenis, legi monumenta laboris,*
*Me, quid me? Phœbo judice, digna legi.*
*Quæ quamvis gratâ mihi ſint vice lecta per horas*
*Non adeò paucas, pauca fuiſſe, queror.*
*Invitos etiam retinebunt iſta legendo,*
*Namq́ lepore ſuo, non novitate placent.*

Andreas Tſcherningius, Sileſius.

Ad Clariſſim. Vir. & Poët. Georg. N. Er. Epigrammatopæum.

*Optume vir, noſti, quàm me olim Epigrammata Cœli*
*Exhilararint. Tu, Cœlius alter eris.*

Joachimus Gerdes.

7. Ad Georg. Nicol. Eraſmum.

*Tu Vates lauru dignus, tua carmina cedro:*
*Sed tibi laus laurus, famaq́ cedrus erit.*

Theophilus Schwabe.

## In Autoris nomen alluſio.

*Ingenij campos Phœbi qui ſcindit aratro/*
*Et vincit, meſſem jure favoris habet.*
*Macte, Georgi, animo/ melicos ſuperato labo-*
*In Vatum numero/ dives amoris/ eris. (res.*

Paulus Blocius, Rect. Lunæb.

## De Autore.

*Æmulus arguti ſolerter Eraſmus Oëni/*
*Hoc juga Parnaſſi ſcandit ad alta gradu,*
*Quin/ ſi conſimiles invenerit ille Patronos,*
*Progrediens/ ceptum mox ſuperabit iter.*

M. Chriſtianus Timotheus Duſſtius.

# EPIGRAMMATUM GEORGII NICOLAI ERASMI, OHRDRUFIENSIS THURINGI, AD ILLUSTREM DN. CHRISTIANUM THOMÆUM SEESTED, Equit. aur. Celſiſſimi DANORUM Regis CANCELLARIUM.

## LIBER PRIMUS.

1. **Ad Lectorem.**

NE caſtis noceam pueris, timidisve puellis,
Spurcities libris eſt aliena meũ.

2. **Ad Deum ter max.**

Mille modis fio, dum deprecor, atq; relabor/
Perjurus/ recipis tot, pater alme/ modis.
O fidei præſtare fidem/ pater optime/ poßim!
Surripe, quò poßim/ me mihi, daq; tibi.

3. **Ad Mecœnatem ſuum, Dn. Chriſtianum Thomæum Seeſted.**

Chriſtiani Regis/ Thomæe/ es dexter ocellus/
Secreta Imperij quo videt ille ſui.

4. Myſterium imperſcrutabile.

*Cur unus ſit tres, tres unus, nemo futurâ,*
*Hâc nemo vitâ dicet Arithmeticus.*

5. Ad Jeſulum ſuum.

*Aurum, thus, myrrham, tibi quæ donata, redo-*
*Chriſte, mihi: fidei ſit, precis, atq; necis. (na,*

6. Colonia Agrippina.

*Aut in Perſiaca fundata Colonia terra eſt,*
*Aut monumenta viris non dedit illa Magis.*

7. Sepulchra.

*Cur monumentorum nomen cepere ſepulcra?*
*Ut poſſint mentem ſæpè monere tuam.*

8. Promiſſio.

*Aurea ſit quamvis promiſſio, gemmea quamvis:*
*Rem mihi, ſit licet hæc plumbea, malo dari.*

9. Dona.

*Eloquio ſuperes Ciceronis verba diſerti,*
*Eloquium vincent dona, tacendo, tuum.*

10. De Hiſtoricis & Poëtis.

*Hiſtoricos inter nihil eſt, interq; Poëtas*
*Diverſum, libros fingit uterq; ſuos.*

11. Aſinus.

*Eſt humilis, timidus, mitis, patiensq; laborum,*
*Hac aſinum par eſt nos ratione ſequi.*

12. Me-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756623774/phys_0012
DFG

12. Meditatio Mortis.

*Si cupis æternam poſt funera ducere vitam,*
*Fac vitæ quovis emoriare die.*

13. Ad Dn. Laurentium Stephani J U. D. & Judicii Guſtrovien. Directorem, Benefactorem ſuum.

*Sæpius ut tibi ſum, ſic es mihi ſæpius hoſpes:*
*Actio tota tua eſt; paßio tota mea eſt.*

14. Ad Salvatorem.

*Tu quod es, es factus, neq́ tempore factꝰ in ullo:*
*Hoc, quod eras, id eris; non quod eras, id eris.*

15. Magiſter.

*Perſica vox Magus eſt ſapiens, ab eaq́ Magiſter*
*Dicitur. hoc multi, re ſine, nomen habent.*

16. Hæreſis Evangelica.

*Si ſumus Hæretici, ſacrum quo ſtigmate dogma*
*Vapulat; ecquis erit Hæreſiarcha? Deus.*

17. De Juriſconſultis & Medicis.

*Inter Juridicos, ſi quis, me judice, certet,*
*Et Medicos inter, gloria prima lucrum.*

18. Ad Salvatorem in Natali.

*Eſt tibi Natalis, mea te contritio vincit;*
*Ut ſolvas, culpam, quæſo, remitte meam.*

## 19. Teſtes innocentiæ.

*Eſt Caiphas, eſt Herodes, teſtisq; Pilatus:*
*Iſtorum verum conſtat in ore tuum.*

Joh. 11, 50. Luc. 23, 14. 15.

## 20. Ad animam.

*Cur ſinis, ut corpus tot ſcādala peſſima patret,*
*Imperio cujus ſors moderanda tuo?*
*Hoc niſi mancipium cautè tractaveris, ejus*
*Æqua malo quondam pœna futura tibi eſt.*

## 21. Ad Deum ter max.

*Primus ego matrem feci, Deus alme, parentē,*
*Propterea veteri ſum tibi lege ſacer.*
*Lex jubet, ut ſolvar; nolo tamen eſſe ſolutus,*
*Tempore ſed ſervus quolibet eſſe tuus.*

† Exod. 13, 13.

## 22. Curia.

*Exponit venum gemmatos curia montes:*
*Nil, præter curas, curia curat emi.*

## 23. Fides.

### Ad Oënum.

*Quo plures fidei ſpecies, quàm Relligionum,*
*Quomodo res noſtro eſt tempore rara fides?*

## 24. In Philautum.

*Es bonus, esq; malus. bonus es, te judice, verùm;*
*Cenſura quâvis peſſimus alterius.*

25. In Grandinum.

*Officium ſi derivatur ab officiendo,*
*Grandinus nimis eſt officioſus homo.*

26. Judas Iſchariotha.

*Quis prodire neget Judam de ſtirpe Jacobi?*
*Hic Natum vicit / vendidit ille, Dei.*

27. De Medicis & Jurecōſultis.

*Quæ perdunt alios / morbi atq; injuria / quosvis /*
*Divitias Medicis juridicisq; parant.*

28. Suum cuiq; pulchrum.

*Pulchrum cuiq; ſuū, quamvis proverbia dicant /*
*Grex tamen alterius grandius uter habet.*

29. Oculus illudens patri.

Prov. 30, 17.

*Si / quoties peccant patrib9, dent lumina corvis,*
*Exiguo mundus tempore cæcus erit.*

30. Crux.

*Apta malis, non apta bonis, crux primitùs orta,*
*Extollit fures, nec ſinit eſſe feros.*

31. In Philautam.

*Eſto puellaris pariter rubor, & pudor; in te*
*Non rubor atq; pudor / ſed tuber atq; putor.*

32. In Paulum.

*Es dives, fateor / alieni, Paule / ſed æris;*
*Divitias hoſti, vix precor, eſſe tuas.*

## 33. Ad Jo. Reinboth. Præpoſ. Haterslebien.

*Noſtræ, vis, Muſæ vivant benè, Jane, ſed illæ,*
*Nè non tu meliùs emoriare, volunt.*
*Annè mihi, dicis, mortem optas? opto. ſed illam*
*Ut minùs opto citam, ſic magis opto bonam.*

## 34. Ad mercatorem frivolum.

*Numinis ore optas pœnas, non corde verendũ*
*Nè cor ex proprio judicet ore Deus. (eſt,*

## 35. Ad celſiſſ. Danorum Regem Chriſtianum, hoc nomine quartum.

*Taliter imperium moderaris, ſubdita Regni*
*Optet ut æternum Te ſibi terra Patrem.*

## 36. Ad Chriſtianum V. Danorum Regni hæredem.

*Ut, quàm eſſes magna ſimilis ſibi mente, doce-*
*Impreſſit vultûs ſigna verenda pater. (ret,*

## 37. Ad Dan. Stahlium, Philoſ.

*Cur tractanda tibi Sophiæ data laurea prima eſt?*
*Prima fuit primo functio danda Sopho.*

## 38. De Verſificatoribus.

*Qui nihil omnino didicit, quàm ſcribere verſu,*
*Non poterit ſtomachum nî ſatiare fame.*

39. De

## 39 De Paula.

*Ornatam toto virtutum cardine Paulam,*
*Lætus, at infelix Paulus amator ait.*
*Undecies bis ſex peperit feliciter annis.*
*In Paula virtus, hæc niſi, nulla patet.*

## 40 Ad Jo. Mejerum, Cimbrum.

*Tu nobis es, veteri nil poſtponendus amico.*
*Aurum ſic precio par vetus, atq; novum.*

## 41 In Cottam.

*Si tibi non placeant, ut dicis, Cotta, ſuperbi,*
*Tè certè poterit nemo placere minùs.*

## 42. In Paulam.

*Sedula Paula ſuis non fictè dicitur actis:*
*In medium dormit ſedula Paula diem.*

## 43. In Ollum.

*Diceris eſſe quidem, non es tamen atheus, Olle:*
*Cui venter Deus eſt, atheus eſſe nequit.*

## 44. Ad D. Chriſtianum Thomæum Seeſted. Cancellarium.

*Tu Regis Daniæ manus, & pes, lecta lucerna es:*
*Hæc, mihi ſi non vis credere, crede tibi.*

Nomini ſc. Anagrammatum Autoris emmetrorum Lib. 2 Anagr. 92. hæc per tranſpoſitionem affirmanti.

## 45. In Gellium.

*Cor breve, ſed longam Gelli circumgeris haſtā,*
*O / tibi ſi longum cor foret, haſta brevis!*

## 46. In Annam ſuperbam.

*Suſpicor / unius quòd non ſis filia patris,*
*Corpus cùm famulæ ſit tibi / cor Dominæ.*

## 47. De Poëtica.

*Propugnat benefacta / vel oppugnat malefacta*
*Quæ videt, ut tua laus, vel tua fraus pateat.*

## 48. Ad Philipp. Henr. Friedlieb. Doct. Theologum.

*Melle ſonans / non felle tonans, dulciſſime Friedlieb /*
*Vana prius / reddis pectora ſana gregis.*
*Perge, famem lenire, pio relevamine, ſacram /*
*Verget & in famam laus veneranda tuam.*

## 49. Arithmetica Paulæ.

*Expoſuit fumo ſeptem farcimina Paula,*
*A quibus / heu, rapuit gens malè fida decem.*

## 50. De Poſthumo.

*Præpoſitus qui vix heſterno lumine, nunc eſt /*
*Mutato paulùm nomine / Depoſitus.*

## 51. In Paulam. Fœminam ornatiſſimam.

*Ira, Venus, partus / ſomnus / mora / jurgia / faſtus;*
*Septem virtutes ſunt ea, Paula, tua.*

52. Mors

52. Mors Peccati.

*Non in peccatis / peccatis mortuus eſto /*
*Vivere ſi, vitâ non moriente, cupis.*

53. Ad Mecœnatem ſuum, Chriſtianum Thomæum Seeſted.

*Juſtitia Heroi gmtum te candida juſto,*
*Et pietas carum reddidit alma Deo.*
*Illis cùm placeas, geminâ virtute, duobus,*
*Acceptum cuivis / quis neget, eſſe bono?*

54. Ad Jo. Gerhardum Theol. iter facturum.

*Non tibi fortunam comitem, ſed, Iane, Jehovâ*
*Deprecor, illa comes cœca, oculatus hic eſt.*

55. In Aulum.

*Officium oblato ſpondes pro carmine. Verùm*
*Officio nummus prævalet, Aule, tuo.*

56. In Paulam.

*Ægra lubens moriar, fuero modò ſana, fateris:*
*Monſtra refers, mavis in cruce forte mori.*

57. In Loiſitanum Jurid.

*Corde tuo eſt juris nè micula / Loiſitiane,*
*Iura tamen dicis, ſcilicet ore ſapis.*

58. In Benedictum.

*Es tu / re verâ, Benedictus non benè dictus,*
*In te namq; nihil noſcitur eſſe boni.*

## 59. In Paulam.

*Iurgia vel miſcet crudelia Paula, vel orat:*
*Optima Paula, precans; peſſima, lite ſecans.*

## 60. De Dan. Stahlio, Philoſ.

*Stahlius à chalybis nomen benè nomine ducit:*
*Hic acuit ferrum, Stahlius ingenium.*

## 61. In Fabellum.

*In quovis novit dentem exercere Fabellus,*
*Excepto, quem non cogitat eſſe, Deo.*

## 62. Ad Henricum Rahn. J.C. Roſtóch.

*Per loca jam loqueris, queis nunquam viſus es olim,*
*Et quorum nulli fortè videndus eris.*
*Quî ſic? non paucos perfundis dogmate juris,*
*Quorum quæ nunc eſt vox, tua ſemper erit.*

## 63. In Damianum.

*Sunt tibi difficiles loculi, facilesq; puellæ:*
*Hæc gravis eſt levitas, illa levis gravitas.*

## 64. In Paulam.

*Si rectè, ſomno data, mortua dicitur eſſe,*
*Menſe ſolet quovis vivere Paula diem.*

## 65. In Quintum. Nobilem Ignobilem.

*Nobilis heu virtus in te non ulla notatur,*
*Nî, quòd nobiliter pedere, Quinte, ſoles.*

66. In

66. In Aulum.

*Forma viros neglecta quidem decet, Aule, proindè,*
*Mens neglecta tamen non dècet, Aule, viros.*

67. In Paulam.

*Elapſo medio, neſcire, quis annus agatur,*
*Culpa fuit ſomni non niſi, Paula, tui.*

68. In Ollum.

*Sit nihil omnipotens toto licet orbe creatum,*
*Venter at omnipotens eſt tamen, Olle, tuus.*

69. Ad Theod. Beccherum.

*Quod charus genitor, quod ego, tuus intimus in*
*Pectore, quod ratio temporis urget, abi. (mo*
*Roſtochiumq; veni. ſic, mi Theodore, videbis,*
*Non ſolùm lenæ quòd ſapiant homines.*

70. De Megapoleos anno 1635. ſtatu.

*Eheu, dum patriã mea vult vitare charybdim,*
*Fit Scyllæ peregri cymba propinqua maris.*
*Sed Deus, innocuam qui fecit abeſſe Charybdim,*
*Merces Scylla meas nè voret, ille dabit.*

71. Poëſis.

*Lucrando, fateor, non eſt de pane Poëſis,*
*De famâ tamen eſt ſæpius, atq; fame.*

72. Con-

72. Converſio temporis.

*Vix ſeptem Veterum Sapientes tempore viſi:*
*Tot noſtro ſtultos tempore nemo videt.*

73. In Furium.

*Ad mentem redeo? memini, te dicere, ſanam.*
*Mentiris, nunquam mens tibi ſana fuit.*

74. Felicitas nimia.

*Fertilitas lædit ramos uberrima. Sic ſunt*
*Fata ſecunda nimis fata ſecunda minùs.*

75. Ad Salvatorem.

*Da mihi, quæ proſunt, bona corporis, & bona cordis;*
*Sic, Deus, haud unquam plusvè minusvè dabis.*

76. Exemplum mortalitatis.

*Quò miſer è membris terræ plus abluis atræ,*
*Cogeris illius ſemper habere magis.*
*Hæc tibi quotidiè res vaticinatur in aurem,*
*Quòd ſis/ fœdus homo, fœda futurus humus.*

Oratio, meditatio, tentatio.

77. Ad Dan. Michaëlem Superint. Guſtrovien.

*Sunt tria, Theiologum caveæ ſpectantia prima,*
*Ex his compoſitum te tribus eſſe doces.*

78. In

78. In ſpondam Comitis Gleichenſis bigami.

*Hâc cubuit ſpondâ Gleichenſi præſes in arce,*
*Mancipium Turcæ qui fuit, atq; gener.*

Hæc ſponda adhuc hodiernùm in arce Gleichen, miliari ab Ohrdrufio diſtante, præſtò eſt.

79. In Paulam valetudinariam.

*Decumbis, quoties transverſum poſtera flatum*
*Pars habet; hôc, ſurgis, prætereunte, vales.*

80. De Pinello.

*Civilem, dicunt quidam, non eſſe Pinellum,*
*Et verum dicunt. cur? quia ruri habitat.*

81. In Thraſonem pompoſum.

*Magnum incrementum Iovis es tu nomine, ſed re,*
*Magnum excrementum te, patet, eſſe bovis.*

82. Argentoratum.

*Argentorati precio ſine nîl datur, illuc,*
*Argentum porta, ſi lubet ire, ratum.*

83. Chriſtus.

*Unus ab æterno eſt, tempus duo fecit eundem;*
*Hac unum rurſus conſtituere duo.*

84. In

## 84. In Paulam.

*Hic modus eſt Paulæ/ (non eſt modus ille feren-*
*Deficere in rebus/ vel ſuperare/ ſuis. [dus)*

## 85. Cervus, Homo.

*Anguibus eſt cervus contrarius; aëra ſaltu*
*Increpat/ & ſeros vivit ad uſq; dies.*
*Simius eſt homo cervorum/ contrarius exſtat*
*Anguibus/ alta ſapit/ vivere vultq; diu.*

## 86. Ad Chriſtian. Timoth. Duft. Schol. Ohrdruf. Rect.

*Heſterno, Duffti/ tua piſa recentia carpſi/*
*Num te propterea forſitan ira capit?*
*Si ſapit/ hinc animo tantum terrebor/ ut ulla*
*Vix ſine me piſis poſſit abire dies.*

Concordia.

## 87. Res parvæ creſcunt.

*Si capit imperium concordia diva domorum/*
*Quæ ſunt ima/ citus concumulabit bonos.*

Diſcordia.

## Res magnæ dilabuntur.

*Si rapit imperium diſcordia dira domorum/*
*Quæ ſunt prima/ citum diſcumulabit onus.*

## 88. Imprecatio Juſta.

*Sint centum/ mala qui centum mihi dura precantur;*
*His contra totidem pectora pura precor.*

89. Poeta

89. Poëta Laureatus.

*Laurea virtuti eſt, vivit poſt funera virtus*
*Hanc mihi, cùm fuero mortuus, ergò dabis.*

90. Conſilium ſalutare.

Ad amicum ſuum, Chr. Tim. Dufft.

*Quando uſurpatur tibi caſeus, optime Duffti,*
*Si placet, hunc poſitū lac prope ſemper habe.*
*Quò propier lacti (Medicis ſi credere fas eſt)*
*Caſeus, hòc potiùs dicitur eſſe juvans.*

91. In Grandinum.

*Hepatis es tàm devoti, ſi fortè precaris,*
*Ut potum calidâ ſub prece ſemper ames.*

92. Sol & Sal.

*Ut videas, Sol eſt, nè non vireas, tibi ſal eſt,*
*Sole Deus mundum roborat, atq; ſale.*

93. Ad Generoſum D. Chriſtian. Thomæum Seeſted. Cancellarium Regis æquiſſ.

*Das ſua ſacra Deo, populo ſua jura merentis;*
*Illi, dum pares; huic, quia fraude cares.*

94. Fides.

*Sit quamvis ævo ſanè invictiſſimus omni,*
*Non rarò fidei vincitur enſe Deus.*

95. In

95. In Chærulum.

*Vaccæ/ ceu ſtreperi, conſcendens terga, caballi,*
*Ingyrum miſeram præcipitanter agit.*
*Si, qui ſcandit equos, equitat, quid Chærulum ille?*
*(Vah nova monſtra viri) vacillat; haud equitat,*

In Polyphemum.

96. Morbo colico laborantem,

*Os compeſcendo, culo, Polypheme, loquaris;*
*Sic parti, facies, ut ſit utriq; benè.*

97. In Honoram.

*Propter quod quicquam eſt tale, hoc magè tale fatemur.*
*Eſt igitur nummus ſponſus, Honora, tuus,*

98. In Polyphemum.

*Eſt oris de te multi ſuſpicio, verùm,*
*Contingit præter jus ea faſq; tibi.*

99. Ad Candidum, de Alano.

*Nîl facit/ at lautè vivit, mihi dicis, Alanus.*
*Fallit, an eſt iſtud, Candide, nîl facere?*

100. De militibus hujus ſeculi.

*Prælia ſint alijs ferro plumboq; cruenta:*
*Militibus noſtris aurea bella placent.*

101. Ebrietas.

*Mors ſine morte potens, vita ſine vita ſuperſtes;*
*Morborum genitrix improba, dulce malum.*

102. In Poſthumum.

*Vis, ut te digner condigna, Poſthume, laude?*
*Quæ deceat ſtultos laus, refer ante mihi.*

103. Cuſtodia Angelica.

*Angelicis vita es ſocijs circumdatus omni,*
*Si bonus ipſe, bonis; ſin malus ipſe, malis.*

104. Amazonum progenies.

*Queis animam pueris rapuiſtis, Amazones, omnem,*
*Illis Mars vitam, Teutoniamq; dedit.*

105. Tortura.

*Deliras, quisquis verum torquendo prehendis?*
*Rectiùs ut paſsis diſcere, diſce mero.*

106. In Poſthumum.

*Se miſerum ſimulat Poſthumus, & miſer eſt.*

107. Poëtæ.

*Sunt mel, fel, Lux, crux; ſed pro ratione merentum?*
*Mel tibi, luxq; bono; fel tibi, cruxq; malo.*

108. Epimenides.

*Ex multo nomen ſtudio ſit nobile. fama eſt*
*Cretenſis ſomno concelebrata viri.*

109. De Olo, Aulico Politico.

*Tempora temporibus prudenter temperat Olus;*
*Audit, non audit; non videt, atq; videt.*

110. Con-

110. Conjux. Pellex.

*Conjux / & pellex operi aſſentitur eidem,*
*Illa ſed / ut ſobolem provocet / hæc obolum.*

111. Promiſſio Dei.

*Nolẽtes verbis homines dant verba frequenter:*
*At ſunt verba Dei nil / niſi facta Dei.*

112. In Eulogien.

*Quæritur Eulogie / quî ſit / quòd tàm tibi corpꝰ*
*Intumet / ? Eulogie ſi cupis eſſe / refert:*
*Quærenti lepidè reſpondet: dente laboro.*
*Vah / potuit ventrem dens onerare tuum!*

113. Ad Lectorem, de Eulogie.

*Illepido ſi diſpliceo tibi fortè lepore /*
*Culpam materiæ reproba cauſa ferat.*

114. Hæres ex aſſe.

De Andrea Tſcherningio, Poëta inſigni.

*Opitÿ famam ſibi ſic Tſcherningius omnem*
*Applicat / ut natus prædia quæq; patris.*

115. Dormientibus Pſ. 127. 3.

*In ſomno Deus eſt potumq; / cibumq; daturus:*
*Quàm rapit hoc avida ſedulitate piger!*

In vultûs ſudore. Gen. 3, 19.

*Pane tuo feſſus / vultu ſudante frueris:*
*Quàm capit hoc pavida credulitate piger!*

116. Leo

116. Leo. leno.

*Rure leo prædam, leno venatur in urbe:*
*Leno mente feros, ſed leo dente feras.*

117. Studioſus Jenenſis.

*Sis ſtudiis, chordâ, potu, vel nobilis enſe,*
*Ienenſi acceptus ſi cupis eſſe viro.*

118. De Anna.

*Quatuor Anna viris nupta eſt, tot ſponſa virorum,*
*Neſcio, quo fato virgo manere poteſt.*

119. Antiochus Epiphanes.

*Dicitur illuſtris factis crudelibus, ah quot*
*Taliter illuſtres ſecula noſtra ferunt!*

120. In Paulam.

*Quod numeras matri precium, ſolvetur abundè*
*A natabus idem, plusvè, minusq́; nihil.*

121. De Anna.

*Eſt adeò felix proventibus Annula, menſe ut*
*Ante alios quarto fructificarit, ager.*

122. In Carum.

*Care, licet vigiles, tamen inceſſu, atq; labore,*
*Noctambulonis inſtar es.*

123. Ad Zelotypum.

*Nititur in vetitum mulier, mavultq́; negata:*
*Vis, ut honeſta tibi ſit, prohibeto minùs.*

## 124. In Hunellum.

*Solvere promittis per ita, quod creditur, & non;*
*Per non ſolviſti; ſolvito nunc per ita.*

## 125. In Bartholum.

*Sunt, tibi/ qui dicunt, (nec vanus, Barthole, rumor)*
*Ocyùs ac ſapias/ officium eſſe datum.*

## 126. Ad Chriſtianum Thomæum Seeſted. Danorum Regis Cancellarium.

*Congeriem laudum breviter dum formo tuarũ,*
*Dico tribus verbis: Es ſimilis ſocero.*

## 127. Qualem exoptet ſponſam.

*Cum nive concertet / quæ vult mihi nubere virgo/*
*Et candore, luens fata ſuprema, cadat.*

# EPIGRAMMATUM GEORGII NICOLAI ERASMI, OHRDRUFIENSIS, LAGÆ PRESBYTERI, AD ILLUSTREM DN. CHRISTIANUM THOMÆUM SEESTED, Eq. aur. *Magnum Danorum Regis Cancellarium, Mecœnatem ſuum*,

## LIBER SECUNDUS.

### 1. Ad Lectorem.

*HÆrentis mediis quãdoq; in verſibus, audax*
*Incepti ſomnus rumpere fila ſolet.*
*Ergò tenor/ ſomno ſimilis/ ſi lentior horum,*
*Sæpe patri natos noveris eſſe pares.*

### 2. Ad Salvatorem.

*Chriſte, tibi ſtrenæ vice cor, ceu capſula quædam/*
*Offertur/ referas nîl, bone Chriſte, mihi/*
*Supplicis/ at tantùm precor, ut ſis incola doni.*
*Sic ego/ nulla petens/ omnia dona peto.*

## 3. Ad Dn. Chriſtianum Thomæum Seeſted.

*Prima licet Procerum tibi conſtet adorea Re-*
*Nunquam diſsimilis es tamen ipſe tui. (gni,*
*Scilicet, ut neſcit ſors nubila frangere, pectus,*
*Tollere ſic nequeunt fata ſecunda tuum.*

## 4. Vir pius.

*Non aula, qui vult pius eſſe, ſed exeat orbe.*
*Orbem quisquis amat, deſinit eſſe pius,*

## 5. In Poſthumum.

*Non eſſes doctus, quamvis doctiſsimus eſſes,*
*Poſthume; cur? vulgi nam tibi laude pla-*
*ces.*

## 6. Ad Candidum.

*Nocturno citus arridet tibi tempore ſomnus,*
*Cændide, vis operam perdere, non oleum.*

## 7. Triumviri.

*Corpore nos Medici, fortunâ jureperiti,*
*Theiologi, juvant (ſæpè gravant) anim.*

## 8. Poëtæ.

*Quò meliùs poſſunt mendacia cudere docta,*
*Hòc potius digni nomine ſunt, quod aman*

## 9. Pennalis.

*Penna, Pennalis qui non vult eſſe decorus,*
*Pænas, Pænalis, quas patiatur, habet.*

10. I

10. In Quintinum.

*Eſt juga portantis nomē / Quintine / Propheta /*
*Et juga portantis cor animusq́; tibi.*

O tempora!

11. Ad Oënum.

*Tempora mutantur / neq; nos mutamur in illis;*
*Peßimus eſt / non fit tempore pejor homo.*

12 In Phyllida.

*Corpore nè Phyllis ſit obeſo / cauta puella eſt,*
*Ore bibit modico / ſed vorat abſq; modo.*

13. In Paulam.

*Sæpiùs os Gaudella canis tibi lingit / at illi/us*
*Par referas / culum linge / relinge / pari.*

14. In Gallum.

*Rem Gallæ ſperas pullos non eſſe daturam:*
*Quo minimè credis / gurgite piſcis erit.*

15. Fides.

*Sicut naturæ / fidei ſic corpore creſcis:*
*Es puer / es juvenis / vir / fideiq́; ſenex.*

16. De Ollo.

*Ollus in uxorem tàm magno fervet amore /*
*Hanc ut continuo pulſet agatq́; pede.*

17. In Aulum.

*Aule / tuam / ſi vis / uxorem cernere nullos /*
*Hanc terræ cumulo contege / certus eris.*

## 18. Salus.

*Conſtruit / atq; ſalus mox corpora deſtruit, illa*
*A ſapiente Deo quæ datur, iſta mero.*

## 19. De Zoilo.

*Zoilus eſt inſtar crocodili / qui fugientem*
*Te ſequitur propemns / ſiq; ſequâre, fugit.*

## 20. In Poſthumum.

*Dona juventutis vino ſomnoq; ſepulta.*
*Suaviter, heu ſerò, Poſthume / fers graviter.*

## 21. Miles.

*Judice me / miles dictus, quaſi milvus es / olim.*
*Hinc, quoniam facto gaudet uterq; pari.*

## 22. Pax. Bellum.

*Pace nihil melius, bellove nocentius eſſe.*
*Temporis hoc noſtri ſecula cana docent.*

## 23. De præſentibus moribus.

*Vult Heraclitos præſens nos reddere tempus*
*At gens Democritos nos malè cauta damn.*

## 24. In Gambrinum.

*Tu patris gravibus ſpectati moribus, eheu,*
*Filius es, quo nîl vilius eſſe poteſt.*

## 25 Troja & Germania.

## Ad Danielem à Tarnau Vratisl. Sileſ.

*Pergama ſenſiſſent cum per duo luſtra dolorem /*
*Vulnere dicuntur libera facta ſuo.* Sau-

*Saucia plus quinto verùm Germania luſtro,*
*Nondum, quo ſanguis ſtet, medicamen habet.*
*Trojanæ poſthàc ſaneſcent vulnera terræ,*
*Nam puerilia ſunt ad mala Teutoniæ.*

26. De noſtri temporis capillitio.

*Cedito, Jane bifrons, vult, paſſis laxa capillis,*
*Afrons eſſe novo natio noſtra modo.*

27. In Aulum.

*Conſenſu ſine multa meo fieri, benè dicis,*
*Nam ſine conſenſu deſipis, Aule, meo.*

28. In Pontilianum.

*Scripſiſti verâ de Religione libellum,*
*Non credis libro, Pontiliane, tuo.*

29. In Claudium.

*Bis tres atq; unum veteres dixere Planetas:*
*Si tunc vixiſſet Claudius, octo forent.*

30. In Theodorum.

*Cur non eſt ſenſus Theodori in verſibus ullus?*
*Hæc ratio eſt: tantùm compoſuit numeros.*

31. In capillones.

*Cæſarie vultum cur deformatis? apertæ*
*An quia vos frontis forſitan eſſe pudet?*

Senes bis pueri.

32. In Cottam.

*Qui ſapuêre, ſenes pueros bis dicimus, ô te*
*Felicem! puer es vix ſemel, atq; ſenex.*

33. In Quintum.

*Dicere, mentis inops in morbo, Quinte, fuiſſe,*
*Credo, es enim quovis tempore mentis inops,*

De Germania.

34. Ad Paulum Neandrum Prætor. Reipubl. Vratislav.

*Quando canis quenquam crudeli dente momordit,*
*Ex ejus facilis fit medicina pilis.*
*O daret ipſa ſibi tot Natio noſtra pilorum,*
*Morsûs queis proprij vulnera ſana forent!*

35. Ad Mecœnatem ſuum Chriſtianum Thomæum Seeſted.

*Quisquis Chriſtianum te neſcit nomine dici,*
*Chriſtianum factis te videt eſſe tuis.*

36. Deus unus.

*Et Pater, & Natus, & Sanctus Spiritus eſtis,*
*Tres eſtis, ſed tres dicere nemo poteſt.*

37. In Philipnum.

*Diceris ex tacito vix reſpondiſſe, Philipne;*
*Laus, reſpondere, eſt nobilis, ex Tacito.*

38. I

## 38. In Candidum.

*Cur nunquam claudit thoracem Candidus? illum*
*Apperti / ut pateat, pectoris eſſe virum.*

## 39. Ad Henricum Rahnium. J. V. D. & Prof. Roſtoch.

*Tale tibi ſit iter / Rahni, tu qualis es ipſe:*
*Fauſta tibi quævis dum precor, iſta precor.*

## 40. In Quintinum.

*Quintine, es dignus precio non abnuo / magno,*
*Sed precio, famulis quod dat agaſo ſuis.*

## 41. In Thraſonem.

*Quòd ſe demittat per ſæpè ſuperbia / nunquam*
*Submittat / miſer / ac imperioſe / doces.*

## 42. In Quintum.

*Ut capiam ſenſum verborum, Quinte, tuorum,*
*Commentariolus adjiciendus erit.*

## 43. In Furium.

*Neglecto patrio / cognomen in Hellade quæris;*
*Conveniens factis eſt* ἐπιχαιρέκακος.

## 44. In Gaurum.

*Invitas multos, paucos vis / Gaure / venire:*
*Quòd non ſit Chriſti mens tibi, cœna docet.*

## 45. Remedium contra podagrã.

*Qui contra podagram medicamen dulce requiris,*
*Gallinæ renes ſi reperis, recipe.*
*probatum eſt.*

## 46. Ad Chriſtianum Thomæum Seeſtedium.

*Ex primis primus mihi tu Patronus haberis!*
*Ex imis imus ſum tibi fortè cliens.*

## 47. Epitaphium Dn. Oligeri Roſencranzij, Danorum Regni Primatis.

*Roſencranzius hîc recubat cognomine Doctus:*
*Quem Dania haud potuit claudere, tumba (tenet.*

## 48. Aliud ejuſd.

*Sub lapide Oligerus cubo Roſencranzius iſthoc,*
*Ceu leo voce, ita ſum nomine notus homo.*

## 49. Aliud.

*Magnifica hîc recubat tua munificẽtia Cimber,*
*Et pietas, candor, juſtitia, atq; fides.*
*Hæcne mori poſſunt? non poſſunt. attamen almã*
*Ad tenebras tumuli ſunt comitata Roſam.*

## 50. Jus.

*Si faveant Reges, taceant in codice leges:*
*Judex, non codex jus gerit, atq; ferit.*

51. Ad Lectorem.

*Carmina ſi, Lector, tibi profero pinguia, mirer,*
*Hoc quòd tàm macrâ conditione queam.*

52. Ultima Oligeri Roſencranzij voluntas.

*Juſta mei ut fiat diviſio poſthuma, Menti*
*Supremæ mentem do, cineri cineres.*
*Virtuti hæredem conſultò defero nullum,*
*Donec eâ dignus, qui potietur, erit.*

53. Ad Chriſtoph. von der Lippe Celſiſs. Danorum Regi à conſilijs.

*Pectoris es fidi, ſermone probatus, obindè*
*Regis amicitia eſt conciliata tibi.*

Prov. 22, 11.

54. Nobilitas.

*Nobilis ut dicâre, tibi Rex inclytus offert,*
*Moribus, ut fias, conficis ipſe tuis.*

55. In Annam.

*In te virginitas quantum ſibi vendicat, aſſe*
*Emero, ſed Danico, quo nihil aſſe minus.*

56. Ad Lectorem nauſeabundum.

*Sit ſarcaſmorum diſtinctio, ſitq́ jocorum,*
*Et verſus poteris conciliare meos.*

57. In Battum.

*Verba tibi ſecreta velim non credere, ventri,*
*Garrule, nam crepitum, Batte, tacere nequit.*

58. Ad Alanum.

*Vis, Sathan ut ſociam rapiat, quid, ſi rapiat te*
*Unà? corpus habent nam vir & uxor idem.*

59. De Aulo.

*Callidus extremi deplorat funeris horam;*
*Scit, quod fleturus nemo ſit, Aulus, eam.*

60. Ad Farrium.

*Vates optimus ille, Martialis*
*Quæſitus: Tibi cur mala eſt lacerna?*
*Reſpondit: Quia ſum malus Poëta.*
*Tu contrà (quia Sirij calore*
*Primo pollicitus tibi lacernam es,*
*Quam nec frigora ſera præſtiterunt)*
*Farri, fortè rogatus: heus lacernam*
*Tàm tritam quid habes? repentè, quæſo,*
*Reſponde: Quia ſum malus Propheta.*

61. In Paulam.

*Vitat Paula die conſpectum, nocte virorum*
*Invitat tactum: vult potiora. Sapit.*

62. In Aulum.

*Mille mille diem dum Sacramenta per omnem,*
*Aule, tonas, nimis es relligioſus homo.*

63. Ingenium muliebre.

*Quis neget, ingenij divini fœmina quòd ſit?*
*Unica Doctricem nox dare namq; poteſt.*

Albæ gallinæ filius.

64. In Paulum.

*Gallinæ niger es (vah peſtem!) filius albæ;*
*Matronæ proles non bona, Paule, bonæ.*

65. Problema.

Qui dicit, quæ vult.

*Qui, quæ vult, dicit, & , quæ vult, digna relatu*
*Sunt, an, quæ non vult, audiet ille tamen?*

66. In Alanum.

*Scire ſuum facit, ut multos miremur, Alane:*
*Scire tuum, miror non minùs, eſſe nihil.*

67. In Grandinum.

*Te merito vitij verſu, quo dignus es, augens,*
*Ingrati dico es pectoris ardelio.*

68. In Battarum.

*Pectus habens atrum, tibi candida dicitur Aula:*
*Heus bone, quod friget, quâ ratione calet?*

69. In Poſthumum.

*Cùm lauderq; bonis, doctisq; prober, quid inepte*
*Poſthume, te curo? tange, ſed ange minùs.*

*Fœdera*

*Fœdera pange parùm/ rurſùs tua fœdera frãgis*
*Famam ſcinde quidem, nec, male, finde meam.*
*Poſthume, nîl curo, me roſeris; oderis inquam/*
*Te lacerat, me non macerat, invidia.*

70. Bellum.

*Bellum non minimè bellum conceditur eſſe,*
*Hoc ſi pro patria & Relligione geris.*

71. In M. K.

*Prima dies ſtultos aliis in Aprile remittit,*
*Miſit Doctorem te tamen illa tuis.*

72. Servus fidelis.

*Rara avis eſt noſtro cur ſervus in orbe fidelis?*
*An, quia non Dominum vult ſuperare ſuum?*

73. De Gleichmanna.

*Fœdifragam Stephanus ſolvit bis quinq; thaleris.*
*Cum vacca precio ſolvitur illa pari.*

74. Miles.

*Cur miles criſtas gerit imperioſus? ut hoſte*
*Accedente, queat deproperare fugam.*

75. In Philopompum.

*Turgeſcis nimio ſapientis pectoris aſtu.*
*Deſipit is/ nimiùm qui, Philopompe, ſapit.*

76. In Aulum.

*Aule! ſoles mento nobis incedere tonſo.*
*O ſi præ mento mens tibi tonſa foret!*

77. In Battarum.

*Non orare quidem puerum, ſed multa vorare,*
*Battarus, haud docuit ſcribere, ſed bibere.*
*Non argumentum legere, armentum regere, eheu*
*Quod puerum docuit Battarus, hoc nocuit!*

78. In Quintum.

*Cur te Germanum ſemper mihi dicis amicum?*
*Sermonis Latij num quia vadis inops?*

79. Mors incerta.

*Trux, quia neſcitur, quâ mors ventura ſit horâ,*
*Ultima credatur qualibet eſſe dies.*

80. Ratio ſtatûs.

*Pacta, fides cedant; jus, æquum tranſeat, eheu*
*Ratione qua vis eſt ratio major ſtatus.*

81. Dei impotentia.

*Omnia poſſe Deum, conſtat, mendacia ſolùm*
*Dicere, vel trita ſpernere corda nequit.*

82. In Coſlerum Apoſtatam.

*De ſacra quereris vanè Coſſere, Poëſi,*
*Quòd modò ſit numeris amplificata ſuis.*
*Nonne, quòd ardelio, bone vir, ſis maximus, &*
*Sis, eadem novit dicere, mentis inops? (quòd*

83. In

## 83. In Angelicam.

*Angelicam qui te fuit auſus dicere primùm/*
*Credo/ quòd hic omnes dixerit Angelicas.*

## 84. De Lepido.

*Neglectis propriis, vicini expellere ſordes*
*Vult lepidus. nimis eſt officioſus homo.*

## 85. De Eulogio & Batto.

*Eulogium docuit Schola / verùm Academia Battum:*
*Illaq; luſciniam reddidit, hæc aſinum.*

## 86. In Paulam.

*Quòd perlecta tibi bis ter ſint Biblia/ jactas:*
*O modò ſi faceres Biblica/ Paula, ſemel!*

## 87. Ad Pancratium Amſelium Cant. & Poëtam.

*Nomina non rarò reſpondent optima factis,*
*Amſeli, ſis tu nominis omen habes.*
*Namq; , velut merulæ dulci modulamine gau-(dent/*
*Suave ita tu reddis voce lyraq; melos.*

De Medicis.

## 88. Ad Jo. Ebnerum. Norimb.

*Incolumem primò vitam, bona quæro ſecundò,*
*Demùm, quando mori debeo, quæro Deum.*
*Si, quæ naturæ, cari vis ordinis eſſet,*
*Debebat Medicis gloria prima dari.*

89. De

89. De Mortuis benè.

## Ad Chriſtoph. Titium Paſt. W. Sileſ.

*Nil de defunctis, niſi dicendum benè, dicunt:*
*De multis dicit pagina ſacra malè.*

## 90. Venter & pudenda.

*Tàm propè juncta pigro quare ſunt inguina ventri?*
*Cognatum vitium venter & inguen amant.*

## 91. Vir bonus.

*Eſſe bonum, non eſt bona res, res optima verè eſt;*
*Cùm nihil hunc ſuperet, qvem juvat eſſe bonum.*

## 92. Animæ.

*Corporibus noſtris animas ego malo tyrannas;*
*Clementes noxam ſæpè dediſſe, patet.*

## 93. Nemo fecit.

*Nemine nil minus eſt, nil majus in orbe / nocendo:*
*Quæ mala contingunt plurima, nemo facit.*

## 94. In Philautum ſuperbum.

*Scandebas cœlum, Dæmon quà decidit arte,*
*In terram meritò jactus es ergò tuo.*

## 95. Candor.

*Qui defecati quærit candoris amorem,*
*Iſthuc/ ſervus ubi cornua ponit, eat.*

69. In

## 96. In Paulam.

*Si tàm ſæpè preces tu, quam maledicta ſonares,*
*Davidis poſſes vincere, Paula, librum.*

## 97. In Onophilum.

*Viribus ex totis ſtupidum defendis aſellum;*
*Nunc de Patrono gaudeat ille ſuo.*

## 98. In Grandinum hypocritam.

*Diſsimulas, ſimulas, quoties occaſio poſcit.*
*Omnia, ſic ſapiens, omnibus eſſe potes.*

## 99. De Alano.

*Non ficte ſe Catholicum profitetur Alanus;*
*Omni nam fidei conſecrat ille fidem.*

## 100. In Candidum.

*Sic fuit in fato, quicquid fit, Candide, dicis;*
*Non fuit in fato, te fuit in fatuo.*

## 101. In Grandinum.

*Quisquis te confert aſino, Grandine, ſuperbum*
*Fallitur. abjectum ſemper hic eſt animal.*

## 102. Ad Deum ter max.

### De auro, ab homine ignoto, dimiſsâ concione, oblato.

*Aurea dona ſoli per non notum adjicis, addas*
*Natum per notum laurea dona poli.*

## 03. Ad Antonium.

*Antonî multis ingrata eſt, grataq́; multis,*
*Illis ob danda, his accipienda, dies.*
*Suavia ſed quoniam votorum pignora confert,*
*Qualiscunq́; aliis ſit, modò grata tibi eſt.*

## .04. Sanguis Chriſti.

*Extinguit lepram ſanguis, qui ſuſtulit anguem,*
*Libris ſcripta ſuis verba Galenus habet.*
*In Chriſti periit Lernæum ſanguine monſtrum,*
*Quis neget, hunc ſacram tollere poſſe lepram?*

## 105. In Grandinum.

*Quantivis precij, faciem conſpecte, videris?*
*Morio ſic potuit ſæpius eſſe Plato.*

## 106. Ad Honorum.

*Dicere de multis es ſæpe paratus, Honore?*
*De te non paucos dicere, fer patiens.*

## 107. Quam velit conjugem.

*Eſto meo thalamo, cujus non unus amator,*
*Cujus poſſeſſor ſim tamen unus ego.*

## 108. Ad Matthæum Apellem à Löwenſtern in Langenhoff Conſil. Cæſ. ac Monſterbergenſem.

*Furtivo noſti lectorem fallere Iambo,*
*Fraus ea pro magna laude ferenda tibi.*

### 109. In Ejusdem Deſiderium Pacis.

*Nulla ſalus bello, pacem depoſcit Apelles;*
*Quam poſcit, noſcat/ fac, Deus alme, citò.*

### 110. Ad Herman. Hoffmannum J. U. D.

*Ex primis pars magna hominum deſcendit ad ima:*
*Ex imo ad primum ſurgis, amice, locum.*

### 111. Ad Lectorem.

*Ornatis cur non ſoleo ſermonibus uti?*
*Verboſas neſcit curtum epigramma phraſes.*

# EPIGRAMMATUM GEORGII NICOLAI ERASMI, OHRDRUFIENSIS THURINGI, AD GENEROSISSIMUM DN. GEORGIUM SEEFELDIUM, Judicem Sielandiæ æquiſſimum.

## LIBER TERTIUS.

### 1. Ad Mecœnatem ſuum Georgium Seefeldium.

*Cum ſtudijs/generoſe, bonis ſis additus heros*
*Non poteris ſtudijs abditus eſſe meis.*

### 2. In Bibliothecam ejusdem copioſiſſimam.

*Quod monumentorum veterum ſimul, atq; recentum*
*Quæritur / in libris eſt reperire tuis.*

### 3. In funus Johannis, Holſatiæ Ducis.

*Dignus eras, tardam, Dux inclyte/vivere vitã,*
*Non indignus eras, funus habere citum.*

Vita

*Vita cum longa nobis anguſtia longa eſt/*
*Cumq; brevi vita ſit brevis ipſe dolor.*

4. Deus ignotus.

*Deſtitui jurat falſo ſe Numine Teuto,*
*Nec/ præter ſummum, ſacrificare Deo,*
*At/ potando, litat noctesq; diesq; Lyæo,*
*Eſt ergò ignotus Teutonis ille Deus.*

5. Alijs inſerviendo.

Ad Chriſtianum IV. Danorum Regem.

*Imperio inſervis, at non conſumeris illo:*
*Namq; inſtar victûs eſt labor ipſe tibi.*

6. Diaboli Metamorphoſis.

Ad Daniel. Michaelem, Superint. Guſtrov.

*Eſt leo, quando mala compellit fraude tyrannos:*
*Eſt draco/cùm tetricos provocat hæreticos.*

7. In Dyſſophum.

*Fronte gerunt alij cerebrum; tu calcibus illud*
*Supprimis: hinc miror, quòd tamē alta ſapis.*

8. Tuâ quod nihil refert.

*Noſtra nil refert, ubi ſit Paradiſus. at hunc qui*
*Non percontatur, deſinit eſſe pius.*

9. Ad

9. Ad Chriſtianum IV. Danorum Regem.

*Iuſtus es Imperio, bene mente & corpore ſanus:*
*Iuſtitiam media mens jubet ire via.*

10. Roſtochium.

*Roſtochium Schola præclarum, cereviſia carum*
*Efficit. illa, animos, hæc, ſapere ora facit.*

11. Bona opera.
Ad M. Georg. Seidelium Præpoſ. Eccleſ. Ducat. Olſn.

*Fructûs ſunt, ſibi quos fidei tam firmiter arbor*
*Arctat, ut his ſine non grata ſit ipſa ſibi.*

12. Fides.
Ad Eundem.

*Non, quantum talis, cæleſtem operatur honorē,*
*Sed quantum Chriſti ſparſa cruore madet.*

13. Æmilia Schoſſeri.

*Ohrdrufii Æmiliam fama Schoſſerus adauxit,*
*Si potero, Ohrdrufium condecorabo meum:*

14. Ad Auguſtum Buchnerum.

*Eulogies decus es. tantis nil addere poſſum*
*Laudibus; Eulogies, eſt decus, eſſe decus.*

15. Pre-

## 15. Precium Scholaſticum.

*Quem Schola centuplicat, pro aſinino ſæpè labore*
*Gratia, conveniens voce / aſinina datur,*

## 16. Ad Philippum Hen. Friedlieb. D. Theol.

*Es tuba / pacis amans, cœlo terraq́ potentis.*
*Euge ſonum / pax eſt conciliata, dares?*

## 17. Ad Conjugem.

*Cur mihi ſola places? pulcherrima beſtia tan-*
*Eſt ſimio ſua ſimia. (tùm*

## 18. Oculi Aquilini.

*Lumina, quæ ad Solis faciem dicuntur aperta*
*Stralſundi ad radios clauſa fuiſſe patet.*

## 19. Arma fœminina.

*Uxorum rixa gladius, labiumq́ vagina eſt:*
*Ut gladium reprimas, dira vagina luat,*

## 20. Contributio.

## Ad Davidem Hoffmannum Secretar. Reipub. Vratislav.

*Omnia contribuit languens Germania; mile*
*Retribuit variis quæq́ nefanda modis.*

21. Bel-

21. Bellum, Religionis ergò.

## Ad Davidem Bohemum Paſt. Eccleſ. Bernſtad. Presbyteriiq; Ducatus Olſ. Sen.

*Qui ſeſe, exclamant, defendere Relligionem;*
*Cur nîl ſuſpiciunt Relligione minùs?*

22. Ad Hieron. Weizium, Thuringum.

*Si neſcis, patriæ cultores pocula noſtræ*
*Imos ad fundos cur vacuanda jubent/*
*Accipe me: ſalſum comedunt quia ſæpius halec,*
*Ventriculoq; ſitim ſalſa recepta cient,*
*Conveniunt, animis moti, myſteria Bacchi,*
*Quæ citò reſpondent: Evacuate cados.*

23. Et erunt duo in carnem unam.

*Carne ſua (ſocii nam fœmina maſſa mariti eſt)*
*Uxorem quisquis verberat/ ipſe luit.*

24. Luctus peccati.
Ad D. Petrum.

*Te vocat ad lachrymas venturi luminis augur*
*Ob dicti, facti me vocet ob vitium.*

## 25. Ad Georgium Seefeld. Sielandiæ Judicem.

*Firmet ut Imperium pietate piiſſimus Heros/*
*Æqui te gaudet judicis eſſe loco.*

## 26. Ad Nicolaum Ridemannum Eccleſiaſt. Roſt.

*Argumentorum modus haud eſt Barbara fallax:*
*Ne fallare/ tuo Barbara lecta toro eſt.*

## 27. Nationes Academiæ Roſtochienſis.

*Natio quòd coëat quævis, res eſt bona/ in unum,*
*Neglectum ad ſtudij/ eſt res mala, quòd coëat,*
*Haud vitium eſt/ vitium juveni exprobrare ſuo verbo/*
*Taxari vitium per vitium, vitium eſt.*
*Quid, quòd verberibus/ verbisq; petũtur iniquis,*
*Quorum vexator dignior/ iſta pati.*

## 28. Studioſus.

*Moribus/ haud anno ſtudio, ſtudioſe, potiris;*
*Qui ſtudio ſus eſt/ qui ſtudioſus erit?*

## 29. Pennalis.

*Pennalis oritur, quis ſit Pennalis habendus,*
*Pennalem/ pennam quisquis honorat/ agit.*

Penna-

*Pennalem Doctorem, Pennalemq́; Magiſtrum!*
*Quos pennâ ingenium ducit ad aſtra, voco.*
*Doctrinæ quicunq; cupis tibi quærere famam,*
*Hanc vocem magni nominis inſtar habe.*

30. In Battarum.

*Si quos laudaſti, reprehendo, Battare, laudem*
*Abjicis, & mecum mox reprehendis eos.*
*Pectoris illa tui quæ/ vel conſtantia quanta,*
*Quæ tantùm conſtans in levitate ſua eſt?*

31. In Quintum.

*Promittit Quintus mihi plurima munera / nil dat:*
*Promittit nil, dat plurima militibus.*

32. Die Gelehrten ſchreiben übel.

Ad Chriſtianum Timotheum Duſftium.

*Litera doctrinæ ſignum ſi cruda miniſtrat/*
*Vulgo nil noſtro doctius eſſe poteſt.*

33. Primatus Sanctorum.

Ad Daniel. Michaëlem, Theol.

*Inter diſcipulos oritur contentio Chriſti/*
*Illorum primus cui ſit habendus honos.*
*Judice ſub Chriſto lis eſt / deciditur, illo*
*Judice, quisq; fuit maximus & minimus.*

## 34. Ad Joach. Stockmann. Med. Roſtoch.

*Ut mala pulſaret de noſtro peſſima corde,*
*Immiſit nobis tot mala bella Deus.*
*Sic Medici facitis, vires revelentur ut ægro,*
*Redditis huic guſtûs pharmaca ſæpe mali.*

## 35. Ad Chriſtoph. von der Lippe J. C. celſiſſ. Danorum Regi à conſ.

*Corrumpi donis pavidi non poſſe clientis,*
*Donorum donum rarius eſſe ſolet.*
*Aurea deſpiciens, argentea munera temnens,*
*Cor purum, quovis munere majus, amas.*

## 36. In Nominalem ejuſd.

*Hac ego fauſta volens non ultima luce precari,*
*Non, niſi quod factum eſt hactenus, omne precor.*
*(Quis verbis poterit multis dare plura?) Deus*
*Progenitore tibi; tuq; Deusq; mihi. (ſit*

## 37. Tria (3.) & triginta (30.) nihilo (o) differunt. Ad Hieronymum Weizium.

*Quæ per tres alia fieri debebat in ora,*
*Eſt ad triginta manſio ducta dies.*
*Certa fides tamen eſt promiſſo præſtita, VVeizi,*
*Nam, tribus adjectum vix nihil eſſe, vides.*

38. In

38. In funus
## Henrici Rahnens, pueruli lectiſſimi.

*Nos mortis meßi non anno quoq; ſed hora*
*Maturos, nondum bimule, Rahne, doces.*

39. ## Ad Henricum Rahnen. V. C.

*Quod faciunt alij non pauco tempore, Rahni,*
*Filiolus minimo jam tum ivit iter.*
*Curſus tàm celeri cùm abſolverit arte, videtur,*
*Plauſu, quàm planctu dignior eſſe, mihi.*

40. ## Penna & lingua.

*Hac centum laudare modis, reprehendere cen-(tum*
*Utraq; mota poteſt, utraq; tota poteſt.*
*Doctor habet pennæ precium, precium quoq; linguæ*
*Dictor habet, guſtat neutra laboris opus.*

41. ## Ad Dn. Georgium Seefeldium, Sielandiæ Judicem.

*Laus tua, Seefeldi, confert mihi candida laudem:*
*Laus mea, laudatum concelebrare virum.*

42. ## Ad Henricum Rahnium.
De Margaretæ filiæ obitu.

*Natæ vita fuit moriens à te data; Chriſtus*
*Quam dedit, hæc vivens, vivificansq; fuit.*

*Propterea dixit: vivo / & morior tibi / Jeſu:*
*Viva tibi morior; mortua vivo tibi.*

43. Ad Eundem.

*Margaris ad ſuperas veniens (tuus unio) ſedes,*
*Ocyùs illata eſt in digitale Dei.*

44. Ad Vincentium Fabricium & Zach. Lundium.

*Carmina ab hyberno quæ frigore dicitis, horũ*
*Intimus æſtatis vincitur arte calor.*

45. Ad Eoſdem.

*Perpetua hybernis comes eſt diſcordia veſtris,*
*Alter nam veſtrûm quod negat, alter ait.*
*Re verâ tamen eſt iſthæc diſcordia talis,*
*Ut quicquam concors neſciat eſſe magis.*

46. Corona æternitatis.

Ad Chriſtophorum Freitagium Paſt. Loſſ. Evangel. Sil.

*Aurea quò detur cœli cum laude corona,*
*Spinea cum probro eſt ſuſcipienda priùs.*

47. Ad Henr. Ernſtium, Acad. Soranæ Anteceſſ.

*Si, te quantus amo, tibi tantus ſcribere poſſem,*
*Carmina Virgilio protinùs æqua darem.*
*Sic / Henrice, patet / quòd non amor omnia poſſit*
*Vincere, nam verſus vinceret ille malos.*

48 Ad

48 .Ad Daniel. Michaëlem.
Theol.

*Sermones laudata tuos prudentia condit;*
*Victima ſanctorum ſic ſale miſta fuit.*

49. Ad Animum.

*Mens mea, dementi concedis plurima carni,*
*Te, faciet, cœli gente carere, caro,*
*Ni ſapias, hanc ergò tuâ rege luce; vel ibis,*
*Hâc duce, ſub tenebras, quà geret ipſa nigras.*

50. In Paulum.

*Si Vates ſtulti, te ter voco, Paule, beatum;*
*Ingenio cùm ſis Archipoëta tuo.*

51. Ad Joh. Laurembergium,
Med. & Phil. inſignem.

*Quamvis perlubeat, nequeo tibi dicere laudes,*
*Se laudant laudes, me reticente, tuæ.*
*Si verè placeant laudum tibi nomina, doctè*
*Danda mihi ingenij eſt copia, Jane, tui.*

52. Ad Sp. Sanctum.
In Feſto Penteceſtes.

*Me prohibet febris, nè poſſim viſere ſacra*
*Publica, privatis Numen adeſto meis.*
*Hac ita, muſeo ſedeam, jaceamvè cubili,*
*Æquabunt nutu publica ſacra tuo.*

## 53. Ad Henricum Rahnen. V. Cl. De Chriſtophori filioli obitu.

*Vix tibi filiolus par nomine, Margaris eſt vix*
*Sublata, (heu cordis portio magna tui!)*
*Margaris illa, in qua virtus certabat & ætas,*
*Vincebat multis hanc tamen illa modis.*
*Chriſtophorus tranſit ſobolès nunc tertia, perſtans*
*Omnibus at vita his pro pereunte data eſt,*
*Hinc infelicem minimè te dixero, Rahni,*
*Qui tàm felicis prolis habere pater.*

## 54. Ad Eundem.

*Ut poſſet puris natos ſociare miniſtris,*
*Abſtulit hos purâ ſimplicitate Deus.*

## 55. Ad Laurentium Stephani, Judicij Ducalis, quod Guſtroviæ eſt, Directorem.

*Tu, quem nobilitat virtus, doctrina, fidesq́;*
*Quomodo non verè nobilis eſſe queas?*
*Nobilitas quòd facta deeſt, vis inſita penſat.*
*Nobilibus multis nobiliore loco es.*

## 56. Preces.

*A votis ordire ſacris, finiq́; labores:*
*Sic utriusq́; dabit rector utrumq́; Deus.*

## 57. In Paulum.

*De te, Paule, rogas verum me ſæpe poëma:*
*Accipe nunc ergò: Fur es & ardelio.*

## 58. In Euclionem.

*Semper clauſa manus tua, ſemper aperta, petē-*
*Clauſa riget; danti proſtat aperta, ſapis. (ti*

## 59. In Paulinum.

*Unde, procos, Pauline, pati, non eſſe Latinum,*
*Dicis, eos poſſit cùm tua Nupta pati,*

## 60. De Comitijs Ratisbonenſib.

## Ad Laurentium Stephani J.C.

*Illa vetus veteris mater Germania pacis,*
*Jam noviter natam parturit ægra ſuam.*
*O fauſtam pariat, felici ſydere, prolem,*
*Alserutramq́, cito funere, neutra fleat.*

## 61. De Philio & Aula.

*Ni foret hic dives, Philio non nuberet Aula;*
*Cur? quia perſonâ plus amat illa lucrum.*
*Ni ſpecioſa foret, Philius non duceret Aulam:*
*Cur? quoniam & Venerem, non modo fœnus, amat.*
*Hæc vis eſt auri, contraria jungere novit,*
*Aurum Therſitite, Venus ipſa, dabit.*

## 62. Ad Clementem.

*De mœcha quereris, ſocrus inquit: ſic quoq́ fe-*
*Ætati compar deſinet ergò mea. (ci;*

## 63. Ad Candidum.

*Ne pecces, claro junctos tibi ſanguine curas,*
*Ne peccem, junctum ſanguine curo Deum.*

## 64. Ad Iverum Wind. Regni Danorum Senat.

*Ut ventus quavis vehemens adit oſtia, VVindi,*
*Conſilium noſtri ſic penetrare tuis.*

## 65. In Battam.

*Det Deus ut carum, dicis, non opto, maritum,*
*Sunt etenim, pro me qui faciant, alij.*

## 66. Ad amicum quendam.

*In qua nil caſti, nihil eſt, quod conſtat amati,*
*Cœcus eras, dicta eſt cùm Charitilla tibi.*

## 67. In Philautam.

*Gaudeat inverſâ de conditione Philauta; eſt*
*Fornice nunc, luteâ vix erat ante domo.*

## 68. In Grandinum.

*Non ſervare modum rerum, Grandine, vel illi*
*Non ſervare bonum, quis modus ille? tuus.*

## 69. Magi.

## Ad Joh. Quiſtorpium. Doctorem Theologum, & Facult. Roſtoch. Seniorem.

*An fuerint Reges, an tres, vel quatuor, eſt res*
*Ignota, hac tantùm eſt nota, fuiſſe Magos.*

70. De

## 70. Debita.

*Me Deus à propriis, precor, ut cuſtodiat / atq;*
*Debita ſi qua dabit / ſint aliena / mihi,*

## 71. Senectus.

*Argentum plumbo commutat pigra ſenectus,*
*Aufert corporibus / mentibus addit opem.*

## 72. In Gambrinum.

*Tu laxas frenos petulanti, reprobe, linguæ /*
*Non / quia dente cares, ſed, quia mente cares.*

## 73. Crapula.

*In caput, inq; pedes ſe crapula dividit; illud*
*Stultitia podagræ hos improbitate gravat.*

## 74. In Auguſtum Hæreticum.

*Sacrati non auguſtas, ab / dogmata Teſtis,*
*Auguſti quare nomine rectus agis.*
*Atratæ non auguſtas, vah / ſtigmata peſtis /*
*Auguſti quare nomine lectus abis.*

## 75. In Plangorem, Sigiſmundo III. Poloniæ Regi à Joh. Mochingero V. Cl. dictum.

*Deplorem potiùs Regem / velgratuler illi,*
*Neſcio, cur faciam / cùm ſit utrumq; mihi.*
*Heu ſcio, cur planctu, nam mortuus ille, gemiſcam,*
*Et ſcio / nam vivit / gratuler unde magis.*

*Ejus nunc vivit grandis, præ corpore, virtus:*
*Corpus abeſt, virtus, te referente, manet.*
*Deploro hinc potiùs Regnum, quod principe tanto*
*Nunc caret, at Regi gratulor, atq; tibi.*

## 76. Gloria belli.

*Magna quidē eſt, hoſtes ſibi ſubjectare ſuperbos:*
*Gloria, ſubjectis parcere, non minor eſt.*

## 77. Ad amicum ſuum Zachariam Lundium.

*Dum narras, quæ epulo, quæ prodigus helluo dixit,*
*Quòd tibi rara nimis ſint monumenta, doces.*

## 78. Ad Joach. Schroderum Eccleſiaſt. Roſt.

*Sanguine de Chriſti venientem ſuſcipis annum:*
*Hoc annos fini ſanguine, ſalvus eris.*

## 79. Ad Jo. Mochingerum, Regem Poloniæ Uladislaum II. Oratione laudantem.

*Fingitur Herculeis annexa catena labellis,*
*Quâ ſubitò populum dirigat ille ſuum.*
*Si figmentorum vis eſt, tibi vincula, credo,*
*Eſſe, quibus populi corda coacta trahas.*
*Nam cùm cepiſti mœſto ora reſolvere planctu,*
*Auditrix ſtupuit gens, riguitq; comis.*

Nunc

*Nunc quoniam lætum placuit producere plauſum,*
*Vivat, jo vivat Rex, vocat illa, potens.*
*Hinc meritò Regi complaudo, tibiq́; ſed illi,*
*Quòd per te; tibi, quòd creſcit honos per eum.*

## 80. De Anco.

*Munera dat ſervis largus, quibus indiget, Ancus:*
*Dat miſeris, quibus haud indiget, ille nihil.*
*Si rectè ſaperet, potiùs daret Ancus utriſq́;*
*Illis, cum ſit ei, cùmq́; opus hic ſit eo.*

## 81. Ad generoſ. Guil. à Calcheim, dictum Lohauſen.

*Nobilitate beant ars, Mars, ſed major ab arte,*
*Ut quidam referunt, gloria, Marte minor.*
*Nè deſit minor, aut deſit tibi gloria major,*
*In te concertant Martis & artis honor.*

## 82. De Monialibus quibusd.

*Vah, quid de Monialibus loquelæ*
*Noſtris ſpargitur? Ille Jeſuita,*
*Auguſtinus eas pater, ſenexq́;*
*Abſolvit; nequeunt ab hoc beari*
*Aut amplexibus, oſculove molli.*
*Franciſcum ſibi nunc volunt adeſſe,*
*Qui ſit baſiolis magis ſonorus,*
*Quàm callet Monialium caterva.*

*Abſolvi*

*Abſolvi à ſene tuſſiente non vult,*
*Abſolvi à juvene oſculante mavult.*

83. De Quintilio.

*Cur ita pileolum capiti Quintilius arctat?*
*Cauſa ſubeſt, in eo ferre videtur aves.*

84. In Gambrinum.

*Dum nos præcipitem vis præcipitare per iram,*
*Enſis lingua tibi, met aq; culus erit.*

85. Ad amicum ſuum Theoph. Schwaben.

*Dignus amore meo es, nimio nō dignus amore:*
*Namq; amor eſt nimius non amor, eſt odiū.*

86. Vindicatio juſta.

*Eſuriem Cleri Deus eſurie quoq; punit:*
*Si vis eſſe ſatur, ſit ſacer ordo ſatur.*

87. Amor.

*Qui plus centoculo videt, undiq; providus Argo,*
*Cæcior ut talpa ſit, vehementer amet,*

88. Ad Joh. Botſaccum, Doctorem Theologum.

*Unde Placentinos tot ſecula qualibet edunt,*
*At Iohanninos ſecula pauca bonos?*
*Quæ dantur primis, veniant quoq; dona ſecundis,*
*Et parient numeros ſecula quæq; pares.*

89. De

89. De editione quorundam verſuum.

## Ad Petrum Crugerum. Mathem. Gedan.

*Credere quis poterit, dubiam me quærere famam,*
*Dum mea bis prælo carmina, terve dedi;*
*Verùm falletur, quia non mihi fama, ſed aurum*
*Evenit, ut volucris, hôc capienda cibo.*
*Aucupium rigidos non ſpernere tale Catones*
*Poſſe, reor, quia nil eſt magis in precio.*

## 90. De Tichone Brahæo.

*Aſtronomos antiqua ſuos jam ſecula jactent;*
*Brahæus, ſi non æquat, eos ſuperat.*

## 91. Ad Laurentium Stephani. J. U. D. patronum ſuum.

*Multa tibi ſermo quibus eſt locupletior, optent;*
*Pauca ego: vive, vale, corpore, mente, diu.*

## 92. De Mart. Opitio. German. Poëſ. principe.

*Græcia Mæonidi, quod terra Latina Maroni,*
*Opitio debet Teutonis alma ſuo.*

## 93. Ad Joh. Corvinum. Theol. Gedanen.

*Te Zelus trahit, ut pro Relligione loquaris:*
*Eſt ſcelus, hunc Zelum ludificare tuum.*

94. Unius

94. Unius generatio &c.

## Ad Jo. Ebnerum D. Medicum.

*Quando valent homines, Medicorum ciſta laborat,*
*Infirmi/ quando ciſta valebit, erunt.*
*Unius generatio fit corruptio ſemper*
*Alterius. conſtans hæc niſi norma/ nihil.*

## 95. De Aula.

*Colloquium non fert, lucenti Sole/ virorum,*
*Lucenti Luna, fert tamen Aula viros.*

## 96. In Aulæam.

*Stulto haud nupſiſſes/ fundi niſi divitis eſſet.*
*Argentum, quò vult, ducere fata poteſt.*

## 97. Ad Jo. Weitzium, Poët. cl.

*Eximius non ſum, tamen ex imis ego Vatum;*
*Ex imis, VVeizi, non es, at eximius.*

## 98. Fides.

*Non promittenti ſoleo, ſed credere danti.*
*Credit viſa, fides eſt oculata mihi.*

## 99. Ad Preiſſium.

*Sunt mala de nato, dicis/ mihi nuncia, Preiſſi,*
*Namq; ferè factus dicitur eſſe cyclops.*
*Ajo tibi, verè bona ſunt hæc nuncia; verùm*
*Injucunda, cyclops ſi foret ille/ forent.*

100. In Atheum.

*Præſenti credis, venturam negligis horam:*
*Athee verte tuam, ſic erit æqua, fidem.*

101. Non omnibus.

*Dum vigilo, vigilo, dum dormio, dormio, verùm*
*Dormio non cuivis, omnibus haud vigilo.*

102. Ad Sabellium.

*Ut careat vitâ conjux tua, ſæpiùs optas;*
*Crede, illâ citiùs tu moriere, mihi.*
*Votis ire ſolent contraria fata. carere*
*Conjuge vis, opta, vivat ut illa diu.*

103. O tempora!

*Aurea ceſſerunt, argentea præterierunt,*
*Ferrea ſunt noſtris ſecula temporibus.*

104. Contraria.

*Maxima pars ſervat gradibus contraria ſummis,*
*Ardet amore rei, friget amore Dei.*

105. Venus.

*Stella venuſta Venus diſcurſibus errat in aſtris,*
*Errat & in thalamis ſtella venuſta Venus.*

106. In Pontiam.

*Pro ſtupro captat petulans Nonaria lucrum,*
*Tu patris ſtuprum Pontia, dasq́ lucrum.*

107. In Candidum.

*Sæpiùs in mores aliorum ferris acerbè,*
*Mores vis reprobos carpere, carpe tuos.*

180. Pulex

## 108. Pulex.

*Parve pulex, teneras quare ſectare puellas?*
*An, quia paſtus ab his, & quia potus abis?*

## 109. Virtus.

*Cur recto incedunt virtutis tramite pauci?*
*Hinc, vulgum media quòd pudet ire via.*

## 110. Vitium.

*Tàm multi cur ſunt vitiorum in devia proni?*
*Virtuti medium vult dare quisq; locum.*

## 111. In Philoplutum.

*Ducta juvencla tibi, bis ſex quæ luſtra peregit:*
*Non ea ducta tibi, ſed gravis arca, fuit.*

## 112. Ad Joh. { Majorem. / Gerhardū / Himmeliū } Theolog.

*Eſtis diverſi tres, corpore quilibet uno:*
*Tres uno (nova res) dicitis ore tamen.*
*Hoc veſter numero ſemper Deus impare gaudet,*
*Unus perſonis eloquiturq; tribus.*

## 113. Ad Lectorem.

*Sub gelido brumæ ſcribo mea tempore, Lector,*
*Plurima namq; rigent carmina, pauca vigēt.*

## 114. Ad Mecœnatem ſuum Georg. See-feld. Sielandiæ judicem.

*Dum librum claudis / non fictè dicere poſſum:*
*Ultimus & primus ſunt in honore pares.*

LIBRI TERTII FINIS.

# EPIGRAMMATUM GEORGII NICOLAI ERASMI, OHRDRUF. LAGÆ PRESBYTERI,

*Ad Maximè Reverendum, atq; Excellentiſſimum*

## DN. CASPARUM ERASMUM BROCHMANNUM Doct. Th. & Sielandiæ Epiſcopum.

## *LIBER QUARTUS.*

### 1. Ad Lectorem.

*OFFero paucorum/ Lector, tibi, candide, guſtum,*
*Si bona, ſufficient hæc tibi pauca bono;*
*Sin mala, (nam metuo nè pars mala maxima) præſtat,*
*Me dare pauca oculis, quàm mala multa tuis.*

### 2. Ad Dn. Caſparum Eraſmum Brochmannum, D. Theologum, & Sieland. Epiſc. Patronũ ſuum.

*Theiologus Danicis/ Brochmanne, es primus in oris;*
*Regis Epiſcopus es factus ob inde paris.*

### 3. De Joh. Oëno.

*Millia fecerunt Epigrammata multa Poëtæ,*
*Millibus ex multis vix ſuper una manent.*

*Si/quod fecerunt illi / feciſſet Oënus/*
*Innumeris ſtarent omnia temporibus,*

## 4. Ad Guſtavum Adolphum, Megapoleos Ducem.

*Egregius quòd ſis heros aliquando futurus*
*Omne/puer quod agis / non puerile docet.*

## 5. Ad Germanos.

*Pugnatum ſatis eſt, Germani quærite pacem;*
*Forſan at / heu, triſti pax quoq; clade ruit,*

## 6. In Pamphilum.

*Pamphile, tu puer es, ſed quæ tibi juncta puella eſt,*
*Illa poteſt aviæ nomen habere tuæ.*

## 7. Ad Joh. Cretſchmarum Secretar. Reip Vratislav.

*Relligio quo ſibi defenſa eſt tempore, nunquam*
*Offenſam ſeſe credidit eſſe magis.*

## 8. De Aulo.

*Vitã ægrotanti precor, inquit Cõmodus, Aule,*
*Æternam ab illi comprecor, Aulus ait.*

## 9. Jus Civile.

*Jure ſuo juri medio debentur honores/*
*At ſummè ſummum ſæpe nocere ſolet.*

10. Ad

10. Ad D. Caſparum Eraſmum Brochmannum, Patronum ſuum.

*Quo monſtras, fidei quæ ſint conformia ſana,*
*Eſt tuus inſignis Bibliotheca liber.*

11. Ad Guſtavum Adolphum. Megap. Ducem.

*Comparis ætatis compar tibi nemo videtur:*
*Si tibi vis quenquam, te tibi ſiſte, parem.*

12. Ad Valentin. Schmidium. Paſt. Hatersl.

*Ægypti plagas referenti perrigat aures,*
*Qui, ſibi nè veniat plaga ſuprema, timet.*

13. Aquæ.

*Sanguineis moriuntur aquis, magno agmine, piſces,*
*Nos autem vivos ſanguis & unda facit.*

14. Ranæ.

*Copia ranarum terram Pharaonis adimplet,*
*Hæreticus totâ rana coaxat humo.*

15. Pediculi.

*Turpis adulator quâvis hoc ſemper in aula eſt,*
*Ægypto minimi quod fuit in pedis.*

16. Inſecta.

*Perditur à muſcis Pharaonis agerq́; domusq́;:*
*O quàm Germanos hæc quoq; plaga gravat!*

17. Pe-

17. Peſtis.

*Peſte cadit pecus, at mens indurata Tyranni*
*Permanet. hoc Pharao tempore regnat adhuc.*

18. Ulcera.

*Ulcere turba ruunt, Pharao nihil ulcera curat,*
*Hic quoties duro corde revixit homo.*

19. Grando.

*Grandine percutiuntur homo, pecus, arbor, & arvum:*
*Crimina † ſic pœnis ſunt nova digna novis.*

† Grandinis Ægyptus aliàs inſueta terra.

20. Locuſtæ.

*Quosq; locuſta locos agrorum perdidit; ingens*
*Hæc numero / & damno / corpore parva fuit.*

21. Tenebræ.

*Cur premitur tenebris tenebrarum turba caducis?*
*Cauſa eſt / quòd tenebras / ſit ſubitura citas.*

22. Primogenituræ.

*Ægypti primò genitos Deus abſtulit omnes,*
*Ut primò genitum duceret inde ſuum.*

23. Speculum.

*Da faciem ſpeculo lætam triſtemve, remittit:*
*Sic bona præſentat / ſic mala facta Deus.*

24. De

24. De Levitis.

*Maxillæ cur Levitis, ſcapulaq́ dabantur?*
*Dicere quò nôſſent, ferreq́ probra virûm.*

25. Cœna Dominica.

Ad Chriſtian. Tim. Dufft.

*Exitio ut multis, multis medicina ſaluti*
*Cedit / & hoc uno prodit utrumq́ bono.*
*Corpus ita, & ſanguis / cœleſtia pharmaca Chriſti*
*Vim vitæ / Duffti / vim quoq́ mortis habent.*

26. Ad Salvatorem.

*Das panem / ſed hic eſt corpus, vinumq́ / ſed hoc eſt*
*Sanguis, id eſt fidei / non rationis opus.*

27. Judas.

*Eſt Chriſti genitor Iudas & proditor. ille*
*Eſt Iudas veri nominis, iſte feri.*

28. Ad Tobiam Rombergium.

*Pugillos donas / pugilli Epigrammata ſervant,*
*Qualia præcipitans plurima dictat iter.*
*Si quid primanæ confert modò cauſa ſecunda /*
*Tu mihi non pauci carminis autor eris.*

29. Cutis mulieris tergemina.

*Prima cutis grunnit / latrat altera, tertia blanda eſt:*
*Poſtremam, ſi vis tangere / tange cutem.*

30. In-

30. Infans.

*Infans eſt infans; queis fert Hiſpania palmã,*
*Infantes modò ſunt nomine, more ſenes.*

31. Delphin.

*Hæres cur Regni Delphin tibi, Galle, vocatur?*
*Ut nôrit, quòd amans debeat eſſe hominum.*

32. Liberalitas aulica.

*Luxuriant largis duo profuſiſſimè in aulis:*
*Prodiga dextra manus prodiga læva fides.*

33. Ad Salvatorem.

*Nunc iterùm inſano mare conſpirare tumultu*
*Incipit, evigila / & dic / bone Chriſte, tace.*

34. In Aulum Philoſophaſtrum.

*Stultus, qui Vates / ut Vates / negligit excors;*
*Tu facis hoc / ergò ſtultus es, Aule / rudis.*
*Majorem / quâ nîl, probat experientia, majus;*
*Aule, argumentum clauditur ergò benè.*

35. De ſtatu Germaniæ.

*Cæſareana cohors nobis ſe dicit amicam /*
*Hocq; tuus dicit, Suecia / miles idem,*
*O fortunatam / ſed ſolo nomine, terram,*
*Quæ ſit amicitiis dilacerata ſuis!*

36. In Poſthumum.

*Poſthume ſave / tuum vivit poſt funera virus;*
*Virtus nulla poteſt vivere, nulla fuit.*

## 37. De cladibus Germaniæ.

*Si valet unius tot à regione nocere,*
*Cædes, quid torrens ſanguinis? annè juvat?*
*Sic juvat, extremas miſera ut Germania voces*
*Edat, &, exhauſto ſanguine, merſa ruat.*

## 38. In lupum, ad curiam Lagenſem claro die ſuper prædam interemtum.

*Oppidulo in medio ſectans, lupe dire, rapinam,*
*Per medium ſectus, mira rapina jaces.*

## 39. In dentem ejuſdem.

*Qui nociturus eras, homini mors ſæva futurus,*
*Dens, hominis denti nunc medicamen erîs.*

## 40. In Grandinum.

*In verbis factisq́; tuis ego quæro leporem.*
*(O animal lepidum!) repperio leporem.*

## 41. In Battam.

*Quantus, Batta, parens rhetor tuus, atq; ſenator*
*Vixit! rhetor acu, voce ſenator Ita.*

## 42. Neutralis.

*Non ego Cæſareus, non poſſum Suecicus eſſe:*
*Utraq; barbaricâ gens feritate furit.*
*Militiam ſacræ ſi quis concordia obiit,*
*Euge ſequar, donec ſim veteranus, eum.*

43. Laga. plaga.

*Plaga & Laga levi atq; brevi diſcrimine diſtāt;*
*Impatiens/ patiens hæc gerit, illa ferit.*

44. Ad Matthæum Voland. amicum.

*Cæſaribus Francfurt/ urbs Imperialis, honorem*
*Confert per Septem reddita vota virûm.*
*A mercatura urbs famæ emporialis id aufert;*
*Tranſeat ut rapidi Solis utramq; domum.*
*Urbi quis tantæ quenquam decus addere cre-*
*Addes ingenio, vir ſtudioſe, tuo. (dat?*

45. Ad Jo. Cothmann. Cancell. Megap.

*Filius atq; parens patriæ es/ Cothmanne, ſupre-*
*Exſtinctæ reddis, quod dedit illa tibi. (mè*

46. Ad Caſp. Eraſm. Brochmannum Sielandiæ Epiſc.

*Tu mihi Patronus, nunquā poſtremus, haberis;*
*O Brochmanne/ pari ſim tibi ſorte cliens!*

47. Eccleſia vera.

*Oſculor hanc unam/ ſolùm huic ego ſervio ma-*
*Namq; voluntatem ſcitq; tenetq; Patris. (tri:*

48. Qui benè docet.

*Quiſquis more malus/ licet ore ſit optimus, idē*
*Hôc tectè, rectè quòd docet / ipſe nocet.*

49. Speculum. Vinum.

*Externa in ſpeculo bona vel mala forma vide-*
*Interna in vino forma patere ſolet. (tur*

50. In

## 50. In Melanurum.

*Æthiopi ſimilis niveâ gaudere puellâ*
*Diceris, eſt ſocium par minùs ergò pari.*

## 51. De Poëtis.

*Unde datum Mecœnati tàm nobile nomen?*
*Luminibus Vates ferre fuit ſolitus.*
*Zoilus unde tulit tàm deſpectabile nomen?*
*Heu linguâ Vates ferre fuit ſolitus.*
*Aut igitur linguâ Vates, aut lumine ferto/*
*Sufficiens precium parte ab utraq; feres.*

## 52. De Ebriis.

*Credere qui nolunt, animâ conſtare cadaveri,*
*Nondum gens illis ebria viſa fuit.*

## 53. Veſtis militaris.

*Martis cur populo rubra vel ſaga cærula habe-*
*Sanguinis eſt pictor/ cæruleæq; notæ. (tur?*

## 54. Victima Munda.

## Ad Jo. Quiſtorpium D. Theologum.

*Presbyter/ annè forent animalia munda, vide-*
*Quo facto/ ſacris mox dabat illa focis, (bat,*
*Chriſto/ Presbyteri, maculam non eſſe, videbāt*
*Traditus, hoc facto, victima munda Deo eſt.*

## 55. In Aulum.

*Arcadiam quondam tibi pro nutrice fuiſſe/*
*Sæpè nimis dicta voce fateris Ita.*

## 56. Fac hoc, & vives.

*Si foret à Moſis fac hoc exceptio nulla,*
*Nec Moſen, certus credo, videre Deum.*

## 57. Animæ.
## Ad Dan. Lipſtorpium. Eccleſiaſt. Lûbec.

*Aëra ſi volucris pulſat, nihil efficit auceps,*
*Aucupis at granum ſi petit illa, perit.*
*Sunt animæ volucres, cælo volitantibus auceps*
*Parcit, cum radunt terrea, ſæpe cadunt.*

## 58. Ad D. Caſp. Eraſmum Brochmannum Patronum ſuum.

*Maximus inter eos, Dania quos Regna decorāt*
*Officio in ſacro, jam tibi perſtat honos,*
*Maximus ille tibi veniat licet, attamen ipſe*
*Te minimum, Chriſto præcipiente, facis;*
*Nempè fide pueris quando par eſſe videris,*
*Sic minimus, nunquam maximus eſſe nequis.*

## 59. In Poëmata.
## Sam. Nærani Batavi.

*Qui ſapidè cupiunt fugitivum fallere tempus,*
*Qui lepidè cupiunt fallere tempus idem,*
*Nærani capiant dulciſſima carmina Vatis,*
*His capient ſapidum nîl lepidumvè magis.*

60. Ad

## 60. Ad Farrium.

*Falleris ô nimium, Farri, dum credere non vis,*
*Hæc texti quòd ſint Anglica fila tui.*
*Emit id Angelice, quare diffidere noli!*
*Hæc texti quòd ſint Anglica fila tui.*

## 61. In pictorem ineptum.

*Guſtavi nomen niſi picta tabella referret,*
*Guſtavum formam credo negare ſuam.*

## 62. Ad incomparabilem Theologum Caſparum Eraſmum Brockmannum, Sielandiæ Epiſcopum.

*Alter Atlas humeris cœlum geris altus in almis.*
*Sunt humeri! dictat quos Deus ipſe, libri.*
*His humeris fultum nunquam ruet ordine cœlū,*
*Orbeq́; ſervabit, depereunte! moram.*

## 63. Ad Philium, de Farrio.

*Permagni! dicit Dominus, conſtare lacernam!*
*Perparvi inſtanti Farrius ore refert.*
*Dicit herus verum, mentitur Farrius. an non*
*Sat conſtent magni, pro quibus ille die!*
*Pro quibus & noctu qvaſſatur corpore? ne ſit,*
*Opto! lacerna! Phili! tàm precioſa mihi.*

## 64. Ad Jo. Weberum D. Theologum, & Superint. Ohrdruſien.

*Cùm loquitur Chriſtus, ſomno plebs comprimit aures,*
*Cùm loquitur mundus, pervigil omne capit.*
*Ergò, auditorem ſi vis vigilare frequentem,*
*Cum mundo Chriſtus conciliandus erit.*

## 65. Oënus.

*Oenos cùm vinum dicatur, quid ſit Oënus,*
*Ingenio, Lector, colligis inde tuo.*

## 66. Preces.

*Qui pleno eructat divina precamina ventre,*
*Huic auris nunquam proſpicit alma Dei.*
*Qui vacuo contra profert pia corpore vota,*
*Hunc auris nunquam deſpicit alma Dei.*
*Aut jungas igitur precibus jejunia fuſis,*
*Aut aurem clauſam noveris eſſe Dei.*

## 67. Ad Jo. Reinboth. Præpoſ. Hatersleb. Theol. & Philoſ.

*Eloquio Chriſti peccator juſtus habetur,*
*Ut Davidiaci turba probata chori.*
*Eloquio Chriſti juſtus peccator habetur,*
*Ut Phariſaiaci reproba turba fori.*
*Hic ſi peccator, juſtus dignoſcitur ille,*
*Comprobo peccatum, reprobo juſtitiam.*

68. Ad

## 68. Ad Jo. Mochingerum. Theol. Gedanen.

*Nulla fides viduis/ lepidam nunc poſco puellam;*
*Ut dicam/ viduis/ una facit vidua.*
*Sic puer attingens cineres, atq; uſtus ab igne,*
*Credit/ quòd nullus diſtet ab igne cinis.*

## 69. In Battam.

*Judicio te/ Batta, bono depingere quisquis*
*Vult/ atramento miſceat ille crocum.*

## 70. Ad Bernh. Mengvinum. J. C. & Judicii Ohrdruſien. Direct.

*Ex chartâ leviora tibi mea defero dona,*
*Dona ſed ex auro tu graviora refers.*
*Annua ſi foret hæc tibi permutatio mecum,*
*Pro lauru fierent aurea ſerta mihi.*

## 71. De Gleichmanna.

*Non doleo/ quòd ſæva fidem Gleichmanna pro-fanat/*
*Sed doleo, famâ quòd cadit illa bona.*

## 72. Ad Christianum Schild. J. U. D. & Conſiliar. Ohrdruſien.

*Tarda tibi/ Schildi, cur ſcribam carmina quæ-ris?*
*Rarius, ut perhibent/ carius eſſe ſolet.*

## 73. De Chriſt. Tim. Dufft.

*Argutè paucis quæ ſcit cantare / Camœna,*
*Argutè multis Dufftia digna cani.*

## 74. Crepitus ventris.

*Audior/haud videor, damnor, non pecco: quid autem?*
*Nonnè hæc autori gratia habenda meo?*

## 75. In Battam.

*Centum Batta procis quòd ſis ambita/fateris:*
*Vah quantum vultûs aurea forma poteſt!*

## 76. Pax.

*Si poſt plumbatas redeat pax aurea pugnas,*
*Nunc ubi deſertum eſt/ tunc paradiſus erit.*

## 77. In Gleichmannam.

*Dicebas; bona me, ſi te relinqvo, relinqvant:*
*Eſt benè, velle tuum ſit qvoq; velle meum.*

## 78. In Battam.

*Quos vis/te nolunt/ quos non vis, Batta/volunt te:*
*Virgo in ſeclorum ſecula ſemper eris.*

## 79. Converſio temporis.

*Vomere ſunt enſes/ naſcenti è virgine Chriſto,*
*Mutati; ha[illegible] vertunt ſecula noſtra vicem.*

## 80. Ad Caſpar. Eraſmum Brochmannum Sielandiæ Epiſc.

*Theologia tibi eſt mater, quam diligis unam,*
*Hanc tamen in ſcriptis vir paris alme tuis.*

81. Ad-

## 81. Adſcenſio Chriſti.

*Scandit eam Chriſtus, quâ nunquam ſede receſſit,*
*Cœlorum quia non exÿt ante domo.*
*Cedit eà Chriſtus, quà ſemper ſede manebit.*
*Nobiſcum eſt, nunquam digredietur humo.*
*Ut cœli totus, totus ſic incola terræ eſt;*
*Res ea certa patet, ſed modus ipſe latet.*

## 82. Ad Joh. Quiſtorpium. D. Theologum. Facult. in Acad. Roſtoch. Sen. & Ædis Marianæ Paſtorem.

*Tu non pompoſis, Quiſtorpi candide, verbis,*
*Sed Chriſtum fidei ſimplicitate doces.*
*Hac tua ſimplicitas, ſacro quam dogmate præſtas,*
*Rhetoricum quodvis ſcit ſuperare decus.*

## 83. Ad Chriſtian. Tim. Dufft.

*Nox, quæ præteriit, cœnam mihi contulit atra,*
*Carmen, quæ rediit, dat tibi clara dies.*
*Dona tenebrarum tua ſunt, mea munera lucis,*
*Munera ſi lucis vis dare, redde diem.*

## 84. In Paulam.

*Simia quàm ſimilis turpiſſima beſtia nobis:*
*Ennius in Paulam dictitat iſta pater.*

## 85. Priores ultimi.

*Virginis in gremio primus ne ſit ultimus, eſt,*
*Neſcio, ſed viduæ tale fit in gremio. (quod*

## 86. Diluvium & dies ſupremus.

*Cor oculiq́ gerunt ignes & flumen amantum,*
*Perdidit hôc, illis perdere vultq́ Deus.*
*Lumina ſenſerunt ab amore madentia flumen,*
*Corripient ignes improba corda ſui.*

## 87. De fonte pulchro, in ſylva Ohrdruſienſi.

*Fons hic, Gleichiaca quondam potatus ab aula,*
*Altæ dat † Flammæ dulce refrigerium.*

† Comiti Hoënlohenſi.

## 88. Mulier.

*Cur non ex cerebro mulier, ſed condita coſta eſt?*
*Hinc, quia non debet conjugis eſſe caput.*

## 89. Maro. mora. amor.

*Stante mora ſua congeſſit Maro carmina Vates,*
*Quæ nunquam ceſſans concomitatur amor.*

## 90. Calumnia.

*Ut nardi violat precioſum muſca liquorem*
*Perdita, ſic famam noxia lingua bonam.*

## 91. In Durandum.

*Catholicum ſeſe Durandus pernegat eſſe:*
*Dicere nîl unquam verius ille poteſt.*

## 92. In Maximum Conc.

*Vis/ auditores vitiorum mole carere,*
*Omnigenæ? tales/ Maxime, pinge tibi.*

93. Ad

## 93. Ad Margaram.

*Par eſt forma tibi, par eſt tibi, Margara, virtus,*
*Parq; pari certat, vincere neutra poteſt.*

## 94. De tribus Doctoribus.

*Quæ fuit antè trium doctiſſima turba virorũ,*
*Jam Doctoribus his contigit eſſe tribus.*

## 95. In Battum.

*Cur, tibi diſcipulo, vis, cedere, Batte, magi-*
*Ut doceas patrem prolificare tuum. (ſtrum?*

## 96. In Philautam.

*Emtor ades, citus emtor ades, eme, tolle Philau-*
*Venditur ipſius ſumtibus illa ſuis. (tam*

## 97. Ad Jo. Weizium. Poët. celeb.

*Te, veniunt, viſura gravem, mea lumina, Vatẽ,*
*Qui dudum magno es cognitus ingenio.*
*Fac, ut ſis, VVeizi, parvo mihi tempore, quamvis*
*Non aliàs poßis omnibus eſſe domi.*

## 98. In Phyllida.

*Penelopes tibi forma data eſt, mens Thaidos. o ſi*
*Mens tibi præ forma Penelopea foret!*

## 99. Ad Chriſt. Tim. Dufftium.

*Sunt multi, de te qui fantur plurima, Duffti,*
*Optima quæq; boni, peſſima quæq; mali.*
*Et ſi mille malis rumpantur viſcera, perſtat,*
*Tresvè, duosvè bonos dicere: Vir bonus eſt.*

## 100. In Grandinum.

*Sæpè quòd impugnes rationes, horride; veras/*
*Grandine / hæc ratio eſt / quòd ratione cares.*

## 101. In J. Sauberl.

*Pauca, nec intellecta refers, qvadraverit inte:*
*Obſcurus fio, dum brevis eſſe volo.*

## 102. In Paulinum.

*Libro cur noſtro nomen / Pauline, negabas?*
*An, quia non dignus nomine forſan eras?*

## 103. Bona opera.

*Vulgus, percipiens, operum bona nulla beare,*
*Salvandi forſan vim putat eſſe malis.*

## 104. Ad Bernh. Menguinum, Judicij Ohrdrufien. Direct.

*Quemq; bonum penſas verſum, Menguine / thalero,*
*Nam tres, haud plures ſuſpicor eſſe bonos.*
*Si precium poſſunt tantum, Menguine, mereri,*
*O poſſim verſus condere mille bonos!*

## 105. In Paulam.

*Hiſtorias præter, ſacro nil codice quæris:*
*Hiſtoricam / ergò / tibi, quis neget, eſſe fidem?*

## 106. In Apiſtum.

*Diſcedam / dico; dicis, comitabor, Apiſte:*
*Exſpecta / ut dicam, me comitare / priùs.*

107. Ad Chriſtian. Schild. J. D. & Conſil. Ohrdrufien.

*Quamvis vix decimum, genito me, videris annum,*
*Jure tamen, Schildi, te mihi juro patrem.*

108. In Candidum.

*Das animam, dat fortunam tibi, Candide, Dæmon:*
*Tu breve/perpetuum ſed facit ille lucrum.*

109. De Paulino.

*A ſtupidô quare fertur Paulinus aſello?*
*Poſſit ut ingenij conſcius eſſe ſui.*

110. In Furium.

*Quamvis exſuperet parvo te corpore nanus,*
*Irâ te poterit vincere nemo gigas.*

111. Bolesla Sileſiorum.

*Nominis Opitio tot debet dona Bolesla/*
*Quot ſua divino Mantua Virgilio.*

112. In Thraſonem.

*Hoſtes quando truces butyro/ ſeu melle crepabunt*
*Egregius Thraſo tu quoq; miles eris.*

113. De Militibus.

*Mars quos horrifero non audet vincere ferro,*
*Non rarò mulier perdere nuda ſolet.*

114. In

## 114. In Battum.

*Qui vult vina cavo non prudens fundere cribro/*
*Commendet Batto verba tacenda meo.*

## 115. In Fortauram.

*Aura tibi Fortaura fuit fortiſſima/namq;*
*Né tibi, vel minimum liquit, inepte, boni.*

## 116. De Arnolpho.

*Nomen ineſſe putat vitiis Arnolphus, obindè/*
*Ut carpam vitium/ me rogat, omne ſuum.*

## 117. In Battum.

*Cui ſecreta placet ſecuro condere vaſe,*
*Aure poteſt ea clàm claudere, Batte, tuâ.*

## 118. Mundi exitus.

*Vina, propinqua ſuæ feci meliora putantur;*
*Fex mundi eſt/ nemo vult tamen eſſe bonus.*

## 119. In Paulum.

*Oedipus es duplex, non Davus, Paule/vocandus;*
*Ænigma tu ſolvis, ænigma nemo videt.*

## 120. Bellum. Venus.

*Enſe cadunt multi/ ſed tollit Cypria plures:*
*Corpora bella necant/ improba corda Venus.*

## 121. Non numero, ſed pondere.

### In Mopſum.

*Es numero docti numeris majore Maronis,*
*Pondere ſed verſûs pondere, Mopſe, cares.*

122. De Charilla.

*Tres veteri Charites Vatum ſunt arte, Charillam*
*Naturæ quartam gratia dat Charitem.*

123. Ad Caſp. Eraſmum Brochmannum, Patronum ſuum.

*Quos de te ſcribo, nullos me fingere verſus,*
*Teſtis ſufficiens optima fama docet.*

124. Bellum.

*Virga propinqua pios pueros dat, proxima nobis*
*Virga Dei/ bellum nos jubet eſſe pios.*

125. Ad Patronum ſuum, D. Caſparum Eraſmum Brochmannum, Sielandiæ Epiſc.

*Num placet, in ſpeculo te cernere convenienti?*
*Cor utinam videas/ Vir venerande, meum.*

126. Venus.

*Corpore nuda jacet, tenebris ſed pectus obumbrat:*
*Huic retegenda latent, atq; tegenda patent.*

127. In Sapidium.

*Omnia te puerum, Sapidi/ potuiſſe, fateris:*
*Quis miretur/ te nil modò poſſe ſenem?*

128. Ad Leonhardum.

*Ad ſe cuncta trahit/ Leonharde/ ut ferrea magnes,*
*Sic Agnes ad ſe carnea quæq; trahit.*

Hinc

*Hinc mirare nihil / tactum ſenis eſſe cadaver,*
*Nam fuit huic / animâ penè ſoluta / caro.*

## 129. Converſi.

*Ad Jeſu qui ſunt converſi dogma / pudendis*
*Perverſos ſeſe moribus eſſe docent.*

## 130. Potio vini.

*Vinum quando die bibimus, cur nocte ſitimus?*
*Quò plùs eſt potum, plùs juvat ora merum.*

## 131. In Balduam.

*Baldua, diſceſſum Dominus tàm deflet, & uxor /*
*Ut, non cras, hodiè, ſic volo / dicat, abi.*

## 132. Ad Aulum, conjugis ſtupratorem foribus extrudentem.

*Ejicis in facto prenſum, caligasq́ tenentem;*
*Et ſapis / ante focum nam cacat ille tuum.*

## 133. Ad Chriſtoph. v. d. Lippe. 17. Jan. 1640.

*Suppetit exactis tibi † bis quinarius annis,*
*Quatuor * à primo ſubtrahat, opto, Deus,*
*Quod manet, huic † nihili vim miſceat, omnia (læta*
*Adjiciens, ipſi nîl magis opto mihi.*

†55. * erunt 15. † erunt 105.

## 134. Ad Jo. Reinboth. Præpoſ. Hatersleb.

*Ut, quàm Johannis dignus ſis nomine / mõſtres /*
*Dulcis es alloquio / dulcis es eloquio.*

135. Ad

135. Ad Valentinum Schmidiũ. Paſt. Hatersl. De funere Joh. Erneſti filioli.

*Ioſeph non decimas/ ſed quintas jure popoſcit*
*Sementis, populo quam dedit ipſe priùs.*
*Nil minor eſt Chriſtus Ioſepho, jure tuorum*
*Quintum Natorum poſtulat ergò ſibi.*

136. Ad defunctum.

*Quo data ſunt Diti lugendo holocauſta duello*
*Factus eo es Chriſti victima ſancta die.*

137. In Candidum.

*Es leo, dum exultas aliorum rebus agendis,*
*Dum tremis, atq; gemis, vix lepus es/ propriis.*

138. Scorta.

*Ore ferunt mel/ corde gerunt fel ſcorta; ſed illo*
*Alliciunt ſtultos nequiter/ hoc perimunt.*

139. Jus talionis.

*Equis Chreſtophilus recuſat eſcam/*
*Equi Chreſtophilo negant laborem.*

140. Ad Salvatorem.

*Ut panacea levat morbi diſcrimine gentes,*
*A ſcelerum mentes crimine, Chriſte/ lavas.*

141. De Clara & Catharina.

*Nobilis eſt illi facies, ſed mobile nomen:*
*Nobile nomen huic, mobilis eſt facies,*

## 142. Odia.

*Quæ fraudem tangunt odia, hæc à crimine purgant:*
*Quæ laudem frangunt, crimen habent/odia.*

## 143. Preces veræ.

*Temperet ut pœnis Numen, qui fortè precatur,*
*Pœnarum cauſis temperet ipſe priùs.*

## 144. In Quintum.

*Spuria cur pulchra proles tua veſte ſuperbit?*
*Ornatus major membra pudenda decet.*

## 145. In Aulum, Orat. inept.

*Oratoris opus puncto quia non facis ullo,*
*Nomen aratoris te decet, Aule, magis.*

## 146. Facies.

*Si mala ſit facies tibi, da virtute decoram,*
*Si bona, virtute eſt condecoranda magis.*

## 147. Caro ferina.

*Quæ priùs ingentis morſu diſtracta moloſſi/*
*Poſteà principibus fit caro cara viris.*

## 148. In Catharam.

*Quàm benè conveniunt Cathara tibi nomina,*
*Pocula das lotii pura bibenda tui. (ſervis*

## 149. Et cætera.

*Si quicquam ſcriptis ſubtraxi/Et cætera pono.*
*Cætera non pono/cætera quære tibi.*

## 150. In Puſillum.

*Ante fores, video, ſex conterranea quòd ſtet,*
*Quid cupiat, novi, pocula tolle, puer.* [lo]
*Funde merum bibulo; vel (quod contingere ma-]*
*Dic modò, me jam non omnibus eſſe domi.*

## 151. In Alanum.

*Si potuiſſet anus duci deformior, anne*
*Affinis fratris factus, Alane, fores?*

## 152. Amor.

*Cur ſolet ignis amor flumen producere ſalſum?*
*An, quoniam ſalſis eſt Venus orta vadis?*
*Igne tamen lachrymæ veniunt? ſunt humida ligna,*
*Propterea ſudant, quos amor ignis edit.*

## 153. Veritas odium parit.

### In Balduam.

*Baldua, nunc juſtum potes in me ferre furorem;*
*Auſus namq; fui dicere vera tibi.*

## 154. Peccatum.

*Eſt pondus, quod vix humeris portabile noſtris,*
*Hoc tamen, ut plumam, plurima turba gerit.*

## 155. De Svarzio & Gutenbergio.

### Ad Chriſtian. Schild. J. U. D. & Conſil. Ohrdrufien.

*Quis, precor, edocuit tormentū plangere primo?*
*Svärzius, ille nigra dictus ab arte Niger.*

*Quis*

*Quis, precor, edocuit ſine pennis ſcribere primus?*
*Gutberg, ille bonâ dictus ab arte Bonus.*
*Artis uterq; ſuæ nomen regeßit, & omen.*
*Profuit hic, bonus eſt: obfuit is, niger eſt.*

## 156. In Pſeudophilum.

*Os mihi das, quod habes, ſed tantùm fallere doctum:*
*Cor nec habes fidum; nec potes ergò dare.*

## 157. In Puſillum.

*Odi, principio qui plus extorquet, amicum,*
*Hoc, vix jam viſus, ſpurce puſille, facis.*
*Eſto principium noſtri quoq; finis amoris,*
*Nam ſit amicitiâ caſſa crumena tuâ.*

## 158. De Adamo.

*Triſte malum, malum mandens, mala male paravit:*
*Malum O liquiſſet, dans mala, mala malũ.*
*Mundus adhuc mundus ſua mala, malo ſine, ferret,*
*Bellaq; bella forent, nec mala mala forent.*

## 159. In Corberum Poet.

*Craßi ſi tituli demantur, paucula reſtant,*
*Scilicet in libris ſuſpicienda tuis.*

## 160. Culullus. Cucullus.

*Teſte culullo, audent Monachi mala, veſte cucullo*
*Gaudent ire, pigros hic tegit, ille regit.*

## 161. In Fabium.

*Cur tantos fieri Fabius ſibi poſcit honores?*
*His non indignus ſi foret, haud faceret.*

## 162. In Ollum, bonum concionatorem, malum Chriſtianum.

*Te quicunque bonum, nullo diſcrimine, dicit,*
*Is neſcit, vitium quid ſit, & officium.*

## 163. In Paulum.

*Eſt meretrix, eſt virgo tibi, nuptamque fatetur*
*Utraque ſe; verùm non niſi virgo placet.*
*Et benè; rara petis. ſalſæ ſapor eſt tibi notus,*
*Agnoſcenda tibi nunc caro, Paule, recens.*

## 164. Audacia.

*Audentes fortuna juvat ſua, nec juvat, idem,*
*Audendo, ſcandes altiùs, atque cades.*

## 165. Vir & uxor.

*Fert præ ſe ſpeciem capitis vir, corporis uxor.*
*Eheu, quàm multos hoc malè corpus habet!*

## 166. De Tacito.

*Ridendo, Tacitus quæque argumenta reſolvit.*
*Non reſolutio, ſed ſtultitia hæc Taciti eſt.*

## 167. In Brunellum.

*Ducis anum juvenis, pœnam, Brunelle, paratã;*
*Gratulor inde minùs, compatiorque magis.*
*At non ducis anum, potius tua commoda ducis;*
*Gratulor inde magis, compatiorque minus.*

168. Pax

168. Pax.

*Si bona quæq; magis benè res ſit nota, carendo/*
*Pacem ſcit nimium Teutonis ora bene.*

169. In Quartum.

*Pinguia, Quarte/ tuas delectāt fercula fauces;*
*Non miror/ tibi quòd pingue ſit ingenium.*

170. Aulicus.

*Aula victurus, mordaci parcere vero*
*Qui neſcis/ neſcis hac remanere diu.*

171. Ad D. Caſparum Eraſmum Brochmannum.

*Cùm veteris Numen populi ferveret amore/*
*Turba Prophetarum miſſa verenda fuit.*
*Erga nos quòd idem cordis face ferveat æqui,*
*Magnis cum ſociis, vir celebrate/ doces.*

172. Cunæ Chriſti. Ad Theoph. Suabium.

*Mundi quisquis opes in cunis quærit Jeſu,*
*Invenit hic/ merito, non niſi fœna, ſuo.*
*Qui paupertatem mundi quæſiverit/ ille*
*Invenit æternas/ quas ſibi ſervet/ opes.*

173. Ra-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756623774/phys_0098
DFG

173. Ratio.

Ad Matthæum Marci. Eccleſiaſt. Guſtrovien.

*Lugendum nobis lapſum quæ præparat arbor,*
*Eſt ratio/ occultis adſociata ſacris.*

174. De Guſtavo Adolpho, Johannis Alberti, Ducis Megapolitani filio.

*Sic mortem illuſtres poſſunt ridere parentes/*
*Si ſua ſit natis indita forma ſuis.*

175. Ad A. K.

*Ingenium quòd ames præ multis/ ſentio, nūmis,*
*Deſipis. eſt nummi majus in orbe decus.*

176. Ad Matthæum Marci. Eccleſiaſt. Guſtrov.

*Matthæum & Marcum caro tibi nomine nectis;*
*Lucam & Johannem junge toro; & ſatis eſt.*

177. Ad amicum ſuum Valentinum Wagnerum.

*Guſtrovium tibi Tyrigeta, ceu patria/ factum:*
*Laga mihi facta eſt patria, plaga licet.*

178. Aſtronomia.

*Ars gravis ecclipſes puncto niſi proderet omni/*
*Plurimus hanc riſu ruſticus exciperet.*

179. Aſtro-

179. Aſtrologia.

*Qui vult ex aſtris verè dictare futura,*
*Huic ſunt, ceu quidam Delphicus, illa, Deus.*

180. Geometria.

*Hancce Geometriam Graji dixêre diſerti,*
*Cùm tamen in reliquis plurima rebus agat.*

181. Dialectica.

*Veſtigat nimiùm tardè Dialectica verum;*
*Nam veri dudum ceßit ab orbe fides.*

182. Aureum ſeculum.

*Aurea per mundum ſi ſecula nulla fuiſſent,*
*Noſtri reverà temporis iſta forent.*

183. In Dyſſophum.

*Te prudens fatuum, ſapientem, Dyſſolphe, vulgus*
*Æſtimat, iſtius pectore nempè ſapis.*

184. Simile ſimili.

*Si vis, conjugium nè ſit tibi triſte marito,*
*Conſilio ſimilis ſit tibi Nupta meo.*

185. Ad D. Caſparum Eraſmum Brochmannum, Sielandiæ Epiſ. Mecœnatum ſuum.

*Militia in terris Eccleſia nomine gaudet,*
*Hac in militia Dux generoſus agis.*

LIBRI QUARTI FINIS.

EPI-

# EPIGRAMMATUM GEORGII NICOLAI ERASMI, OHRDRUFIENSIS,

Ad Excellentem Dn.

## HENRICUM ERNSTIUM J. U. D. & Anteceſſorem Soranum.

## LIBER QUINTUS.

### 1. Ad Spiritum Sanctum. In feſto Pentecoſtes.

*Spiritus alme, veni, ſummo delapſus olympo,*
*Quamq; habito, veniens ingrediâre domũ.*
*Parva cor hæc domus eſt, quavis tamen amplior aulâ,*
*Hoſpes ſi tantus ingredieris, erit.*

### 2. Ad Dn. Henricum Ernſtium. Benefactorem ſuum.

*Magnus es ingenio, ſuavi ſed pectore parvus:*
*Sic parvus, ſemper maximus eſſe potes.*

### 3. Ad Jeſulum ſuum.

*Adſunt cunarum, puer optime, feſta tuarum,*
*Sed Mars crudeli turbine ſævit adhuc.*

*Ut fiat niveis curâ ſine motio cunis,*
*Quæ ſumus, amoveas hoc, puer alme, malum.*

## 4. Feſtum Stephani.

*Cunarum Stephani ſequitur lapidatio feſtum:*
*Sanctorum eſt ſemper lux vice miſta crucis.*

## 5. Ad Jo. Mejerum, amicum.

*Scribere me in funus carmen, te velle, ſororis;*
*Iſtud tàm meriti, quàm pietatis erat.*

## 6. Ad Chriſtoph. Lebzelterum, Danorum Principi à ſecretis.

*Mortua ceu conjux tua, ſic eſt reddita viva:*
*Mortua namq; tibi, reddita viva Deo.*

## 7. Ad Lectorem candidum.

*In noſtro quisquis te ſentis carmine tactum,*
*Ne credas, vitium me voluiſſe tuum.*
*A me materiam duxi quandoq; jocandi,*
*Dumq; tuum videor tangere, tango meum.*

## 8. De Henrico Ernſtio. J. U. D. & Anteceſſ. Sorano. Philoſ. inſigni.

*Per mare, per terras mercator colligit auri,*
*Sed collegit opes Ernſtius ingenij.*
*Quod dedit, hoc illi poſt horam temporis au-fert,*
*Quod dedit huic, mare, vel tollere terra ne-quit.*

9. Ego

9. Ego ſum.

*Cùm placidè Chriſtus loquitur, mox deſtruit (hoſtes:*
*Quid fiet, ſumto judicis officio?*

10. Ad Thomam & Charitinam.

*Una caro eſt vobis/ unus ſed ſpiritus eſſe,*
*Diſſentitis enim Religione/ nequit.*

11. Salvator.

*Eſt pater ille ſuus, ſuus idem filius ille/*
*Seq; creaturam condidit ipſe ſuam.*

12. Sol. Chriſtus.

Ad Sebaſtianum Aliſcherum P. L. C. Sileſ.

*Cæcus erit/ radios Phœbus niſi promat/ ocellus/*
*Cor cæcum/ radios det niſi Chriſtus, erit.*

13. Ad Jo. Bergerum. Ohrdrufien.

*Pergerus, non Bergerus tu jure vocaris;*
*Cur? quia, pergendo, te benè, Jane geris.*

14. Ad Salvatorem.

*Chriſte/ preces ſtrenam ferimus tibi, maxime, noſtram,*
*Et tibi cor/ licet haud labis inane/ damus.*
*Redde piis pacem precibus/ cor labe repurga,*
*Voto ſic noſtro ſit ſatis, atq; tuo.*

15. De ſe ipſo.

## Ad Joach. Kleinſchmid. Poët. & Senat. Roſtochien.

*Verſus verba dies unius quæq; Maroni,*
*Verſus; neſcio quot, quæq; dat hora mihi.*
*Verſibus in noſtris nil diverſum tamen exſtat,*
*Ni quòd ſcribo leves garrulus, ille graves.*

16. Mars.

## Ad Chriſtoph. Colerum Hiſtoricum & Bibliothec. Vratislav.

*Si, quos vivimus, illorum gaudemus amore,*
*Mars nimiùm patriæ fervet amore meæ.*

17. De pulvere Scholaſtico.

## Ad Chriſtian. Timoth. Duff-tium Scholæ Ohrdrufien. Rect.

*Quæ juga, dante Deo, primi ſunt ordinis, illis*
*Conlætor potiùs, non ego compatior.*
*At tua, pulverulenta licet, ſunt talia, Duffti,*
*His non compatior, gratulor ergò jugis.*

18. In Potentiam.

*Ardet amore mei, tua mens: tibi credo; vicisſim*
*Crede mihi; mea mens alget amore tui.*

19. De ſe ipſo.

*Si quisquam dicit, me forſitan eſſe Poëtam;*
*Is falſum dicit, non quia falſa loquor.*

20. Ad

## 20. Ad C. T. Dufftium.

*Non tibi compatior, benè cùm patiare, proindè,*
*Nec miſerere mei perpetientis idem.*

## 21. In Gabinum.

*Uxor, communis quòd ſit plerumq; Gabine,*
*Pulchra, tuo res ſit jam tibi nota lucro.*

## 22. In Battologum.

*Quot ſub tartareo toleret ſuſpiria cœno*
*Tantalus, ut reor, eſt res benè nota tibi,*
*Illi garrulitas nîl dat, ſed plurima monſtrat,*
*Garrulitas monſtrat plurima, datq; tibi,*
*Utriuſq; datis fati paradigma loquaci.*
*Ille tacere quidem, tu blaterare doces.*

## 23. In Sextum Medicum.

*Accipit argentum Philopompi Sextus, & illi*
*Dat morbum; morbus (res nova) nunc emitur.*

## 24. Amor.

*Suſpicor, antiquus amor eſt, quaſi dictus amaror,*
*Cùm ſit amare lues ſemper amare nimis.*

## 25. In Petilianum.

*Non pauco paucos finxit Maro tempore verſus,*
*Quid mirum, multo tempore quòd maneant?*
*Non multo multos vomuiſti tempore verſus,*
*Quid mirum, pauco tempore quòd pereant?*

26. In Pontiam.

*Si virgo eſt, quæ bis peperit/ tu Pontia plus es*
*Virgine, nam quis/ te ter peperiſſe/ negat?*

27. In Cypriam viduam.

*Nubendum eſt/ dicis/ famuli parere recuſant:*
*Mentiris/ morem ferre recuſat amor.*

28. Ad Lectorem.

*Quæris, cur brevibus nectam mea carmina metris?*
*Plus nequeo, precio deficiente, dare.*

29. In Marcum.

*Spectra tuas pecudes, puto/non animalia credis:*
*Vivere vis pecudes, pabula, Marce, negas.*

30. Ad Salvatorem.

*Eſt tua crux mea lux, mors ſors/ deſcenſus ad ima*
*Adſcēſum parat ad gaudia prima mihi.*

31. Frons creditoris.

Ad Balthaſ. Thomam J. C. Sileſium.

*Creditor alterius fidei ſua pignora qui dat,*
*In triplici ſemper fronte videndus erit.*
*Mutua dans/ Deus eſt, ad tempus mutua linquens*
*Utenda; euge bonus atq; benignus homo!*
*Sed poſcens/ reddi tandem ſua, deſinit eſſe*
*Numen, homoq;/ & trux incipit eſſe Sathan.*

32. De

32. De Juriſtis

*Jurgiſtæ, qui rixantur, ſunt plurima turba;*
*Plurima Juriſtæ ſunt, quia jure calent.*

33. Exordium Ciceronis.

*Poſtremùm Cicero ſapiens exordia fecit:*
*Plurimus hoc ſtadio cum Cicerone ſapit.*

34. Ad Henricum Ernſtium, Jureconſ. & Philoſ.

*Pectore ſincerus, doctrinâ magnus es. ajo*
*Hoc/ tam veri/ quàm raptus amore tui.*

35. In Grandinum.

*Sæpè rogas, ut te feſtivo carmine laudem;*
*Vellem, ſi dignum laude foret vitium.*

36. In Bibones.

*Probra, dolor, morbi, mens conſcia, turpis egeſtas:*
*Hæ ſunt divitiæ, turba guloſa/ tuæ.*

37. Mala mulier.

*Dic/ animal quod ſit quovis cane pejus/ & angue/*
*Fæmina/ quam rabido turba furore regit.*

38. Ad Joach. Gerdes.

*Quando canis ſævo fecit ſibi vulnera dente,*
*Hæc linguâ novit reddere ſalva ſuâ.*
*O utinam canibus frueretur Teuto magiſtris,*
*Curatorq; foret vulneris ipſe ſui!*

## 39. Ad Salvatorem.

*Nè tibi; ceu quondam / nimiùm, quæ cogito; peccent,*
*Ut mea ſit poſthàc mens tua / Chriſte / dabis.*

## 40. Leo Samſonis.

*Melleus ore fuit, ſed cætera triſte cadaver.*
*Novit adulator Samſonis eſſe leo.*

## 41. In Theodorum Poët. inept.

*Dum, Theodore, pedem demens in limine lædis /*
*Non miror, mediis te cecidiſſe viis.*

## 42. Ad Janum bifrontem.

*Qui verè prudens ævo vult vivere noſtro,*
*Nullo diſſimilis ſit tibi / Jane / modo.*

## 43. Ad Chriſtoph. von der Lippe. Conſ. Regium.

*Annulus / ex auro factus, precioſior eſſe*
*Dicitur ob gemmæ ſplendida dona ſuæ.*
*Et te principibus / te gratum Regibus aurum /*
*Gemma Dei, reddit dexteritatis amor.*

## 44. In Sapidium.

*Quæ neſcis / Sapidi, nimiùm nè corrige. ſutor*
*Ultra qui crepidam non ſapit / ille ſapit.*

## 45. In Petilianum.

*Tu tua magnifico muniſti ſcripta Patrono /*
*Contra lectores qui juvet illa malos.*

*Fruſtrà*

*Fruſtrà nam quamvis alleges mille Patronos/*
*Libros nemo malos dixerit eſſe bonos.*

## 46. Ad Alanum & Honorum.

*Hæredi locuples, pauper tibi vivis/ Alane;*
*Hæredi pauper, dives, Honore/ tibi.*

## 47. In Ollum.

*Uxoris quare tantùm te pœnitet/ Olle?*
*Illam debebat pœnituiſſe tui.*

## 48. In Dolanum.

*Procuras aliys, ſed non ſine laude/ ſalutem;*
*Officis alterius/ non ſine labe/ toro.*
*Dumq; alios ſacro pellis medicamine morbos,*
*Quare ſtultitiam negligis ipſe tuam?*

## 49. In Thraſonem.

*Adverſis hoſti tàm ſtat tibi miles in armis,*
*Quàm nutans contra fulmina jacta domus.*

## 50. In Phyllida.

*Ambiguo morbi Phyllis fervore gravata,*
*Nè moriar, ſponſum da mihi mater, ait.*

## 51. In Aulum.

*Vis, ut cuiq; magis civi ſis cognitus, o ſi*
*Velles, cuiq; minùs cognitus, Aule, fores!*

## 52. Actio fori.

*Si quis debitulo tecum certaverit/ illi*
*Da vaccam/ cauſâ ſicq; recede tuâ.*

53 Epigrammatismus.
## Ad Joachimum Gerdes, amicũ.

*Cenſetur cantu, quanti ſit habenda volucris/*
*Albus olor certant/ & philomela pari.*
*Grandior is quamvis volucris; licet iſta minuta.*
*Sic magnis certant carmina parva metris.*

## 54. De Aulo.

*Aulus ait: claudo jam non pede Marta ſubin-*
*Hoc quare? vitii nam pudet hujus eam.(trat.*
*Si pudor expungit, fœdantes corpora, navos,*
*Utriuſq; oculi me pudet, Aule/ mei.*

## 55. In Tulſenerum Poët.

*Ter geminata tibi ſunt ſcripta Epigrammata centum/*
*Verùm ex ter centum non placet una trias.*

## 56. De Poſthumo.

*Ne redeat/ fieri curabo/ Poſthumus, inquit,*
*Uxori loculos tres quatuorve meæ.*
*Dicimus huic: quid/ ſi citiùs moriâre? ſed ipſe:*
*Si pereo reſti, non opus eſt loculis.*

## 57. In Preiſſium.

*Iunones, nec eris! ſed vis modò doctus haberi,*
*Hoc tibi, præfacto, non niſi velle placet.*

## 58. In Ollum.

*Juras, ſcortaris, maledicis, decipis, Olle:*
*Es ſacer inverſa Relligionis homo.*

59. Per os Prophetarum.

Ad Jacobum Matthiæ, Doct. Theologum, & Danorum Regià concionib. aulicis.

*Cur non oribus eſt, verùm Deus ore locutus?*
*Sanctorum Vatum vox fuit una Dei.*

60. Ad Deum ter max.

*Ut reddam, mandas, purum ſine crimine, pectus:*
*Da priùs, atq; datum poſtea ſume, Deus.*

61. Mors Chriſti.

Ad Jo. Quiſtorpium. D. Theol.

*In cruce dum Chriſtus demortuus eſſe videtur,*
*Dat majeſtatis maxima ſigna ſuæ.*
*Sic/dum credemur penitùs nihil eſſe/ patebit/*
*Nos quâvis mundi plus tamen eſſe fide.*

62. In Phaſien.

*Pulchra nimis Phaſie, vab toto corpore pulchra*
*Attamen hoc nemo, tu niſi/ novit adhuc. (es*

63. In Bacchariananm.

*Ante ſuum coitum / coiens, & quando coivit,*
*(Quis credat?) virgo Bacchariana manet.*

64. Ad Dan. Sthal. Philoſ.

*Omnibus in rebus ſolummodò quærere verum,*
*Hæc eſt doctrina ſumma caputq; tua.*

65. In A. Br.

*Xantippe nobis, nimiùm mordendo, ſecunda es:*
*Forſan eâ Socratem vis ratione virum.*

66. Cantus eſt duplex.

Ad Pancratium Amſelium
Pöet. & Cant.

*Molliter incipitur cantatio dira malorum,*
*Duriter ad finem ſed venit illa ſuum.*
*Hâc gemit in vita modulatio dura bonorum,*
*Sed mirè molli terminat illa ſono.*

67. In Preiſſium.

*Roboris es nimii/ ſi conſtat robur in ore:*
*Pectore ſi conſtat, roboris es minimi.*

68. In Aulum.

*Indigni ſummo, ceu jure/ beantur honore:*
*Ne mirare/ quòd hic contigit/ Aule/ tibi.*

69. Scientia & conſcientia.

*Olim ſcire parum, multum conſcire dabatur:*
*Utuntur verſo ſecula noſtra modo.*

70. Ad Henricum Ernſtium.
J.C. & Acad. Soranæ Anteceſſ.

*Celſius ut poſſint hominum volitare per ora/*
*Virtutes neſcis/ ſic ſapis, ipſe tuas.*

71. In Gambrinum.

*Gambrine, ut Chriſti jures in verba magiſtri/*
*Corde quidem es ſerpens/ ore columba tuo.*

72. In

## 72. In Preiſſium.

*Me benè demeritum de ſe, malè Preußius odit:*
*Hæc mihi ſint, alias non mihi ſint odia.*

## 73. Ad Candidum.

*Ira furor brevis eſt, ſed continuata ſubindè,*
*Candide! ſit longus, non brevis, ira furor.*

## 74. Ad amicum ſuum Chriſtianum Chemnitium.

*Quamvis, Chemniti, juvenili tempore vivas!*
*Quis neget ingenij te gravitate ſenem?*
*Hæc tibi tàm præceps, primo ſub flore, ſenectus,*
*Hâc vitâ! vitam, prætereunte! dabit.*

## 75. Ad Nobilem quendam.

*Terra ſumus nati, poſt mortem terra futuri,*
*Linea non fallax ſtemmatis iſta tui eſt.*

## 76. Lapſus Adami.

*Non tantam ſerpens, ut fallere poßit Adamum!*
*Illum qua fallat! vim tamen uxor habet.*
*Sic fit adhuc: Dæmon quos perdere neſcit, eoſdē*
*Pejor eo, turpi fœmina fraude premit.*

## 77. Pennaliſmus. In Boemium.

*Quid vexas hodiè duro nos ſcommate! Boemi?*
*Neſcis; quòd fuerit par tibi nomen heri?*
*Cornua qui torva geſtant crudelia fronte,*
*Taurorum vitulus quilibet antè fuit.*

## 78. Jo. A. Comenii janua.

*Innumeram numero verborum claudere linguam,*
*Hoc fuit artificis, nec minùs artis opus.*

## 79. De quodam obtrectatore.
## Ad Jo. Mich. Dilherrum.

*Si voluit petulans alios perſtringere penna,*
*Rariùs his, nocuit ſæpius ipſa ſibi.*
*Sic lucem cæcus tot ſecula vidit Homerus/*
*Quas meruit / tenebras Zoilus aſper habet.*

## 80. De Quinto.

*Dat mores aliis Quintus, cum forſan aſelli*
*Illo plus morum poſteriora canant,*
*Cùm priùs, ac doceat/ gens ruſtica diſcat arare,*
*Diſce priùs mores, poſtea, Quinte/ doce.*

## 81. In Doebium.

*Friget hyems/ aſt asq; calet nimium tibi, Doebi:*
*Tempora ſunt ſtudiis commoda nulla tuis.*

## 82. In Marcum.

*Marce, tot auriculas, quot lumina porrigit Argus*
*Si tibi porrigerem, nîl tamen acciperem.*
*Menè putas mutum/ dicis? ſic cenſeo/ verùm.*
*In cathedra mutum te modò, Marce, puto.*

## 83. Ad Adamum Protopl.

*Quo tibi debebat fructu ſapientia naſci/*
*Quare ſtultitiam prodidit ille tuam?*

84. Re-

84. Remedium amoris.

*Invita Cererem modicè, vitaq; Lyæum.*
*Et fugiet, quamvis compede vincta, Venus.*

85. Ad Chriſtoph. von der Lippe Conſ. Reg.

*Hiſtoriâ doctus ſacrâ, doctusq; profanâ,*
*Illarum vitæ jungis utramq; pia.*
*Sic Hyblæa ſuos quærunt animalcula ſuccos,*
*Quos benè diſpoſitos publicus uſus habet.*

86. Novus annus.

*Annus adeſt novus, hunc ſterilem, pater/exprime Marte,*
*Peſteq; ; nec gelida palleat/opto/fame,*
*Vel, ſi peſte, fame, bello, Pater optime, pergis!*
*Perge tamen verbo nos relevare tuo.*

87. Somnus.

*Quicquid de pigro noctu mihi detraho ſomno,*
*Hoc addo vitæ, ſi bona vita, meæ.*

88. In Aulam.

*Quod vir fronte tuus non geſtet cornua, miror,*
*Cornutus dudum qui tamen, Aula, fuit.*

89. Ad Martin. Opitium.

*Ut memini/ nullos nutris de corpore natos,*
*Innumeros ſummo paſcis ab ingenio.*

90. Ad

90. Ad Germaniam.

*Quàm gaudes proprio, Germania ſæva, cruore!*
*Parce citò tibi, nè quando voles/ neqveas.*

91. Pubertas puellaris.

*Cur pubertatem concedunt Jura puellis*
*Primùm? triticeos ſuperant zizania culmos.*

92. Ad Agatham.

*Candida forma tibi non eſt/ quæ forma negavit,*
*Egregio penſat candida fama lucro,*
*Fama tuam mater formam commendat, & illi*
*Confert, nè ſibi ſit filia diſſimilis.*

93. Solatium & terror Dæmonis.

Ad Eliam Taddelium Theologum.

*Queis mens eſt ſceleris penitùs non cōſcia, Dæmon*
*Securos nimiùm paſcere melle ſolet.*
*Queis mens eſt ſceleris penitùs non neſcia, Dæmon*
*Contritos nimiùm paſcere felle ſolet.*
*Dæmonis eſt mos; terrendos ſolatur/ & idem*
*Solandos terret; ſic, ut utriq; ruant.*

94. O tempora! o mores.

Ad Matthiam Machnerum J. C. Sileſ.

*Flumina vaſta maris licet in duo lumina fundat,*
*Heraclitus ſat tempora flere nequit.*

Quot

*Quot vivunt, hominum quamvis det ſplene cachinnos,*
*Non poterit mores vincere Democritus.*
*Hæc Heraclitos feralia tempora, mores*
*Democritos homines quoslibet eſſe volunt.*

95. De hujus temporis capillitio.
## Ad Jo. Rhauen Prof. Soranum.

*Teſtis erat quondam fidei frons libera certa,*
*Propterea nulli condita fronde fuit.*
*Jam quia non paucæ frondes dant nubila fronti,*
*In patulo eſt, paucis quòd ſit habenda fides.*

## 96. In Bormerum.

*Ebrius excuſat ſeſe Theodorus, aitq;*
*Bormero, ſtultus ſum benè potus ego.*
*Hoc dudum vidi, reſpondet protenus iſte,*
*At, Theodore, tibi dicere non volui.*
*Ebrius ille quidem ſtultus dum dicitur, iſte*
*Stultum ſe fatua ſobrietate docet.*

## 97. In Preiſſium.

*Cur non vis doctus fieri, ſed doctus haberi?*
*Num, quia poſterior forma labore caret?*

## 98. In Alanam.

*Qui circumſpectam dicit, malè dicit, Alanam:*
*Circumſpecta, ſopor quam regit, eſſe nequit.*

## 99. Ad Joël Langloz. Ohrdruf.

*Etſi non omnis certè ferat omnia tellus,*
*Doctam fert turbam qualibet ora tamen.*
*Perge Machaonius gravis impalleſcere chartis/*
*Ferreq; certatim te volet omnis humus.*

## 100. De Cenete & Baldria.

*Res nova; pervertunt Cenes & Baldria ſexum;*
*Nam Dominus Domina eſt / & Domina eſt Dominus.*

## 101. Ad Jac. Schütz. J.C.

*Tu Iuris varias nôſti torquere ſagittas/*
*Ut veri metas, ingenioſe, notes.*
*Aula prima ſuæ meritò ſubſellia, recti*
*Arbitra/ deſignat hinc Themis alma tibi.*

## 102. In Quintum.

*Corpore ſartores ſcabies / vel mente fatigat.*
*Eſt corpus ſanum, mens ſcabioſa, tibi.*

## 103. De Cenete & Baldria.

*Dividit imperium Cenes & Baldria/ noctu*
*Ille domum, tota dirigit illa die.*

## 104. Ad quendam.

*Multa tibi debet frater, ſed cogeris, ille*
*Queis aliis hæret, debita ferre, viris.*
*Debita, jure novo, ſi ſolvit creditor, ipſe*
*Inverſo, malim debitor eſſe/ modo.*
*Et, ſi quis dicat poſthac: mihi debita ſolve:*
*Solve mihi; dicam, cur? quia creditor es.*

105. Ad Jo. Lauremberg. Prof. Soranum.

*Es Meditus, Rhetor, Vates, Sophos, Hiſtor, & (ābit*
*Iugiter in ſummo laurea quina gradu.*
*Si tibi non nomen, quo laus tua proditur, eſſet,*
*Dignus eo ſapiens non niſi Phœbus erat.*

106. Ad Jo. Huſwedel. Phil.

*Eulogies tu Myſtapotens, Sophiæq; Sacerdos*
*Redditus, his primo nomine ſacra facis.*
*Te laudare volens, qui ſis, modò dicere tento:*
*Ingenio major laus nequit eſſe meo.*

107. In obitum Jo. Gerhardi Theol.

*O noster miſeros, te terq; quaterq; beatum!*
*Nos quòd te, tu orbis deſtituare malis.*

108. Res mali ominis.

*Tot quia Theiologi, Medici, Juriſq; periti,*
*Servantes Verbum, corpora, jusq; ruunt,*
*Suſpicor, eſſe fidem, (ſed nolo Propheta vocari)*
*Corpora, jusq; malis excrucianda modis.*

109. De Cenete & Baldria.

*Uxori nupſit, ſolo vir nomine, Cenes;*
*Baldria ſed duxit imperioſa virum.*

110. In Pontilianum.

*Errorem quoniam fovisti tempore longo,*
*Quòd rectè ſerves, Pontiliane, putas.*

*Etſi*

*Etſi concentet bis mille cuculus in annos,*
*Attamen inſolum non canet arte diem.*

## III. Infunus Theodori Becche- ri, juvenis ingenioſiſſ.

*Te caperet quamvis viridis, Becchere, juventus,*
*Judicii poteras vincere dote ſenes:*
*Hanc luſtrans oculis, illi mors tergora vertens,*
*Te ſibi maturum credidit eſſe nimis.*

## 112. Ver.

*Ver tibi dat flores, nova dat tibi ſemina rerum,*
*Tempora ſed partûs poſteriora dabunt.*

## 113. Æſtas.

*Ut fructum ferat autumnus, hunc anteit æſtas,*
*Et concepta fovet ſemina temperie.*

## 114. Autumnus.

*Antiquis dictum eſt ver formoſiſſimus annus,*
*Fama ſed effectis aptior illa meis.*

## 115. Hyems.

*Frigore concilio juvenes, tenerasq; puellas,*
*Ni placeat gelidis ſæpè cubare toris.*

## 116. Partes anni.

*Ver, æſtas, autumnus, hyems ſunt quatuor anni*
*Tempora, quæ tibi dant vivere, dantq; mori.*

## 117. In Candidam.

*Sive tui mores æquanto Candida formam,*
*Seu ſit forma tibi moribus æqua tuis.*

118. In Paulinum.

*Quod malè cūq; facis, factum, Pauline, fateris;*
*Moribus hinc morem, temporibusq; geris.*
*Scilicet in mores iverunt peſſima noſtros*
*Facta, palàm/ laus eſt/ criminis eſſe reum.*

119. In Maximum.

*Maxime, magnifici præcinctus pelle leonis/*
*(Heu ſtupeo!) ſtupido pectore fers aſinum.*

120. Ad Theoph. Svabium. 1643.

*De ſocero tibi, de nupta benè gratulor; illis*
*De te/ namq; pares jungimini paribus.*

121. Ad Henricum Ernſtium.
V. Cl. 16. Febr. 1640.

*Triginta ſuperas hodiè, ſex inſuper annos.*
*Nl morbum precer, hos ter ſuperato precor!*
*Rara ſenecta quidem noſtro hæc eſt tempore, verùm*
*Tempore tu noſtro rarus es ingenio.*

122. Ad Steph. Hanen / Paſt.
Reinshagenſem.

*Qui pietas, candor, rectum, labor improbus uno*
*Dicere vult, quòd ſint, te vocet ille, viro.*

123. Ad Dn. Georg. Linſtovium.

*Nulla dies tibi abit, libros quin pronus adores:*
*Nobilis e tali nomine quiſq; foret!*

124. Ad

124. Ad Georg. Linſtovium Eq. Megap.

*Lumine reſpiciant dignos ſi fata benignè/*
*Nemo vigere loco te meliore poteſt.*

125. Ad Deum ter max.

*Heu/quoties pecco, repeto imo corde; Remitte:*
*At quoties repeto/ dic, Pater alme; Volo.*

126. O tempora! O mores!

*Quicunq;/in quæ nos ſervaſti tempora? clamat,*
*Exitium vitiis imputet omne ſuis.*

127. Hypocritæ.

*Pectore ſerpentes multi ſunt/ ore columbæ;*
*Neſcio, num Chriſti hæc ad pia verba ſonent.*

128. In Glycorianum.

*Frumentum Domini dum debet ſpargere/ grato*
*Errore, in ſaccum ſeminat ipſe ſuum.*

129. Ad Henricum Rahnen V. CL.

*Sint mille/ & plures, qui jactent nomen amici/*
*Hos precio parvi vix tamen aſſis emam.*
*Unius, egregium, Rahni/ decus, unius inquam/*
*Inſtar amicitias omnium honoro tuas.*

130. Conjux.

*Plaudito / qui ſociam reperis/ vel plangito, namq; eſt*
*Optima/quando bona eſt; peſſima / quando mala eſt.*

131. Ad

[...] Adamum Sperbilium
Chirurgum Roſtoch. primarium,
anno 1643. 2. Maij.

*Tu modò perpetuum infligis mihi vulnus; amori*
*Hoc ego, non odio deputo; namq; volo.*

132. Hoſpes.

*Quarta dies piſcem abſurdi facit eſſe ſaporis:*
*Tempore ſunt animal piſcis & hoſpes idem.*

133. Ad Steph Hahnen.

*Evocat ex ſomno galli vox ſedula gentem:*
*At revocat mentem credulus/ Hahnel tuam.*

134. In Battam.

*Mancipio & furi tandem lævo omine nubit:*
*Conſilio ab tardo non bene Batta ſapit.*

135. Objectum Poëſeos.

*Quicquid habet tellus, quicquid mare/ vel te[ctum]*
*Objecti eſt inſtar culte Poëta tui. (net æther.*
*Hiſtoria ergò tibi/ Sophie, & ſit fabula nota,*
*Rem factam; aut fictam pingere quãdo cupis.*

136. Hypocriſis.

*Ius ſummum/ ceu dicitur/ eſt injuria ſumma:*
*Summa notam pietas impietatis habet.*

137. Ad Henr. Rahn. J. D.

*Eliſabetha tibi cecidit Lippenia conjux,*
*Nunc Stephani ſurgit Eliſabetha tibi.*

Summa

*Summa domûs cecidit, ibi gloria, ſu- vo-*
*luptas:*
*Summa domûs ſurgit gloria, ſummus amor.*

138. Artes Fœminæ

*Fœmineo quodvis, etiam grave vincitur artu,*
*Fœminea, falli qui cavet, arte vacet.*

139. In cujuſdam pia hilaria.

*Impie nugator, tuus eſt pietate libellus,*
*Qua ſcelerum pleni ars dæmonis eſſe ſolet.*

140. Ad Lectorem.

*Hæc ſunt, quæ tenui quondam modulabar a-*
*In viridi ruris gramine ſæpè jacens. (vena*
*Candida, ſi, Lector, tibi rus olere videntur,*
*Quòd nequeat dare rus ſe meliora, puta.*

LIBRI QUINTI
FINIS.

# Errata benevolus lector ſic corrigat.

Lib. I. Epig. 19. tuum, legat trium. Ep. 85. ſaltum. l. ſaltu. ibid. unguibus. l. anguibus. Ep: 108. viris l. viri, Lib. II. Ep. 69. l. nec, male. Lib. IV. Ep. 3. quod l. quot. Cætera quiſq; pro ſuâ prudentiâ facilè mutabit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn756623774/phys_0125
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756623774/phys_0126
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn756623774/phys_0127
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn756623774/phys_0128
DFG

Præteritum luges, tibi ſpeſq ...
Præſentis nullus te te ...

ICO ...

Ad Cenſores ...

Immundo in Mundo bonus ... r,
Sic verſus libri vix ...

F I N ...

Mantiſſæ loco pl ... re
Convenientiā M ...

Sæpius in conſtans & falla ...
Sæpius & vitia ha ... t.
Alea ceu reſonans crepitat, ...
Grunnit, rixatur, m ...

Ad weigelij ...

B ... hri.